OPERE
ITALIANE E LATINE

DEL CAV.

CLEMENTINO VANNETTI

PUBBLICATE PER CURA
DELL' I. R. ACCADEMIA DI ROVERETO

Prezzo di questo ottavo ed ultimo volume

Fogli di stampa N. 20 a centesimi 20 il foglio. L. 4. —
Legatura *gratis*

Austr. L.
Porto e Dazio . . „
Austr. L.
pari ad Italiane L.

Prezzo delle Opere complete distribuite in 8. volumi. Austr. L. 32 . 20

OPERE

ITALIANE E LATINE

DEL CAV.

CLEMENTINO VANNETTI

ROVERETANO

VOL. VIII.

VENEZIA
DALLA TIPOGRAFIA DI ALVISOPOLI
E ROVERETO PRESSO LUIGI JACOB
MDCCCXXXI

COMMENTARIOLUM

DE JULIO TURRATTIO

Josephus Antonius Turrattius cognomento Furnaria, is, cujus meminit Adamus Clusolus nuper in Commentario rerum Lagarinarum (1), Volani, quod est oppidulum perantiquum ad alterum lapidem, via Tridentina, a Roboreto, VIII. Id. Aprilis anno CIↃ IↃCCVI. honestis dumtaxat parentibus natus est, verum ingenio sibi suo fortunam et nobilitatem peperit. Nam quum prima institutione Roboreti defunctus, in eorum sacerdotum ordinem, qui a pio docendi labore nomen invenerunt, sese dicasset, (quo in ordine Julius est appellatus) brevi tantos progressus in litteris fecit, ut idoneus sit habitus, qui Romae in Gymnasio, quod Nazarenum vocant, dicendi praecepta traderet. Quam eandem provinciam aliquanto post et Florentiae sustinuit, item apud suae familiae homines; tanto quidem utrobique illustrium adolescentium concursu, tantoque omnium assensu, quantum in ea doctrinarum luce versanti vix sperare fas esset. Cujus tamen memoria cito fortasse intercidisset, nisi Augustinus Paradisius, poeta cum primis clarus, qui in ejus auditoribus fuerat, eam postea in perpetuum versibus consecrasset. Adeo pertinet ad magistrorum famam praeclaros viros ex ipsorum disciplina exire. Est sic igitur apud Paradisium in ea epistola, quam de studiis, quibus ipse in

(1) Notizie antiche e moderne della Valle Lagarina ec. Verona 1787. P. I. C. XXXII. pag. 82.

illo gymnasio dedisset operam, ad Petrum Pasolinium misit; quem locum (2) nos latine convertimus:

En quae me sedes accepit celsa Minervae,
Explerem tandem cupidas ubi dulcibus aures
Carminibus, diti quae vena et flumine largo
Dilectus mi fundebat Turrattius ore.
Oestrum olli tribuit Phoebus, praecepit et olli
Egregios Flaccus numeros, quo maximus olim
Qui fuerat musis cultus splendorque latinis,
Idem exornaret veteri nova saecula laude.

Subjecit autem quasi haec ipsa exponens, Turrattium latinum poetam fuisse elegantissimum, potuisseque subito ea lingua ita versus dictare, quomodo vix possit officiosam epistolam bene peritus scriba (3). Quae quidem facultas cum rarissima est, tum magnam habet admirationem, semimortuo sermone velut prorsus reviviscente. Illud vero etiam magis mirandum, quod quae hic solitus esset, excipientibus discipulis, in ludo fundere ex tempore, ea, ubi in existimantium arbitrium venissent, haud multo minore approbatione legerentur, quam essent audita: quod contra, non meditatis, nulla fere postmodum gratia est. Sed prosa quoque oratione non pauca latine scriptitavit, quae ad sui

(1) Ecco quel, che m' accolse, almo soggiorno
Ov' io potei la destosa orecchia
Bear con la soave immensa piena
D' eletti carmi, qual dal facil labbro
Del mio Torratti si versava. A lui
Febo diè l' estro, e segnò Flacco i modi,
Perchè l' onor de le latine muse
Spirasse a' nuovi giorni il pregio antico.
Versi sciolti del Paradisi. In Bologna 1762.

(3) Il P. Giulio Torratti di Roveredo, latino poeta elegantissimo. Egli potea dettar versi latini all' improvviso, come appena farebbesi da esperto segretario in lettera di complimento.

muneris rationem pertinerent; ut nonnullas coelestium laudationes, et commentariola de jure, sacrisque romanorum complura, in quibus multum agnoscas et facundiae et eruditionis, plus munditiae requiras. Nunquam tamen discessit a versibus, quos omnis generis celebravit. Nam et elegias composuit, et carmina, et epigrammata, et eclogas, et poemata insuper longiora quaedam; ubi quid in suorum quoque alumnorum vel praeconio, vel reprehensione dignum esset, jucundis fabularum et visorum commentis sine nominibus declararet. In quo eum Thomae illi Cevae libenter comparaverim cum solertia inveniendi, tum unumquidque peradjuncta pingendi arte: cura vero et brevitate non item. Ovidium in elegis sectatus est scilicet; sed nec satis politus erat et paullo languidior. Ne in epigrammate quidem aut argutus insigniter, aut suavis: quae duae patent ad eam gloriam viae. Lyrica quidem scripsit majore conatu quam indole, ut etiam lasciviret nonnunquam praeter dignitatem. Habebat tamen et quae velles excerpere. Idem bucolicorum amoenitati haud paullo accommodatior. In satyra vero plane sic habitavit, ut nullo in genere magis; itaque ea demum censendus est. Ac multos quidem ejus sermones legimus, ex quibus intelligi licet, miram fuisse in homine foecunditatem, magnum veterum poetarum studium, exercitationem singularem. Illa fortasse minus probarim, quod sententiam interdum longius circumduceret, quod certos loquendi modos consulto saepius ingereret, quod crassius quaedam efferret, nonnulla durius, quod rationibus uteretur paullo magis vulgatis, quum ex abdito erutis posset; denique quod semel a proposito egressus vagaretur latius, et si quando sua otiose expoliret, adeo non compesceret luxuriantia, ut adderet semper aliquid, vel nimium, succedente stilo. Nam ut in vita, sic in scriptura

plerique omnes felicitate corrumpimur, estque a copia proclive ad licentiam iter. Ceterum fluebat numerosus et varius, idemque sine molestia bene latinus; erat enim omnium scriptorum ubertate completus. Horatium redolebat aliquando, sed non erat ad socraticam illam lenitatem factus, quam industria non assequitur. Itaque totum se ad Juvenalis similitudinem, ipsa impellente natura, et quod vehemens oratio magis est imitationi pervia, composuerat. Neque non Persium adamavit, sed ejus vitavit salebras. Aquinati autem illi propior et sono, et ardore, et rem dilatandi explicandique consuetudine, et toto genere scribendi fuit; quum etiam hujus exemplo supra operis modum haud raro insurgeret. Qui quidem, ut recentiore memoria Quinto et Lucio Sectanis, (quorum vera nomina nemo hodie ignorat, satyras autem hunc diligenter evolvisse apparet) sed ut utrique Sectano de figurarum vi et de acri quadam ac peringeniosa amaritudine concessit; sic utrumque translationum, ut ita dicam, verecundia, minimeque infuscata acuminibus volubilitate facile superavit. Plus artis et pigmentorum in illis, in hoc plus facilitatis et candoris. Neque tamen lacerti aberant et illud, nescio quid, urticam quod satyrae dixerim. Satis etiam scitus in deformandis hominum insaniis, texendisque (quod difficillimum putatur) ad personas apte decoreque dialogis. Tum exemplorum et fabellarum, quae vel praecipua hujus poesis ornamenta sunt, festiva supellex. Materiam vero haud ferme sumebat, nisi quae in philosophia, aut in humanitate versaretur; eamque etiam ex vero ductam ad communes locos quam maxime revocabat. In quo eum non tam illud cogitasse arbitror, quae in certas res certosque homines proprie, non universe scribantur, ea sic vetustate obscurari, ut salsissima quaeque evanescant; quam id spectasse, quod

et utile esset et rectum. Quamobrem facturi operae pretium nobis videmur, si ex omnibus ejus poematis, quae in unum volumen contracta a Francisco Saibantio viro studiosissimo domesticarum litterarum extant in Bibliotheca Sodalium *Lentorum* Roboretanorum, duos potissimum sermones, quo genere minime abundamus, in lucem protulerimus. Namque ipse Turrattius seu quod gloriam contemneret, sive quod manum extremam scriptis deesse judicaret suis, seu denique naturali quadam incuria, quae feracioribus inesse ingeniis solet, haec omnia in tenebris situque jacere passus est. Qui quidem quum veniam remigrandi in patriam a sui Ordinis antistibus novissime impetrasset, quo et matris senectutem sustentaret, et fratris filium, cui pater decesserat, bene educeret ac pudice, et rem quoque familiarem aliena injuria labefactatam restitueret; ita ibi quatuordecim annos ipsos vixit, ut ubi quid laxamenti a negotiis atque a litibus, quas multas et difficiles habuit, nactus esset, ad musas continuo se suas referret, in quarum sinu acquiescebat. Annos autem natus circiter octo et quinquaginta incidit in gravem ac diutinum morbum, quem quum patienter sustinuisset, eo, quo talem vitam professum decebat, animo, III. Nonas Decembres, anno CIↃIↃCCLXIV diem obiit supremum, et monumento suorum illatus est. Breviore statura fuit, magno et capite et ventre, ore rubicundo, capillo rufo, qualis propemodum a se ipso descriptus creditur Plautus. Velox illi et locuples, atque ad gignendum parata mens, consilium rebus gerendis aptius quam solet esse poetarum, fides integra, mores ii, qui propter gravitatem etiam a culpae suspicione abessent. Id quod ex ejus quoque scriptis perspicitur, quibus nihil propositum est aliud, quam ut legentium animos vel ad religionem, vel ad virtutem inflamment. Nam quod ad

Satyram sese applicuit, id ipsum non superbia fecit, neque quo maledicendi libidine flagraret, praesertim quum personis fere pepercerit, sed vel maximo veri honestiqne amore. Itaque etiam, quod non in ultima lande ponit Horatins, principibus viris domi forisque gratissimus exstitit. Idem tamen cum in eorum colenda gratia non moleste sedulus fuit, tum in amicitiis jungendis cautus, eoque constantior in retinendis. Multitudinis suffragium nequaqusm venari; eodem animo esse patrie rure abditus, atque in illo orbis terrae theatro fuisset, et quod pauci possnnt, (nam plerique se ipsi fugiunt) libenter secum versari solus. Qua re factum arbitror, ut ne e nostris quidem hominibus, qni multi simul ea tempestate dediti erant stndio bonarum artium, cujusquam familiaritatem appetiverit, praeter unius Hieronymi Tartarotti. Cui etiam ut obsequeretur, (sic enim opinio fuit) Sodalium *Lentorum*, quos ille, homo impotens gloriae, non sua opera coaluisse crevisseque aegre ferebat, conventibus interfuit plane nunquam: quum quidem ii Turrattium sponte suum in numerum adscripsissent. Hic autem Tartarotto cum vivo ad ineptum quendam ejus adversarium retundendum poeticam operam commodavit non semel ipsins rogatu; (nam ab eo vicissim maximi fiebat) tum mortuo supremo de eadem arte persolvit munus: quod unum ejus carmen in vulgus editum est sub nomine Erilli Cinuraei, quod nomen imposuerant ei Romae Sodales Arcades (4). At eo in carmine qnod laudes, praeter amicitiam, nihil magnopere invenias. Fuit enim Turrattius, ut ceteri fere omnes qui repentino illo animi motu ad versus faciendos concitantur, in scribendo sane

(4) *Vide quae Roboreti exierant in funere Hier. Tartarotti, anno MDCCLXI. p. LXIX.*

inaequalis, et praeterea minus aptus his argumentis, quae dolorem haberent. Qui tamen nisi maluisset, quod natura dederat, uti eo, quam illud sequi, quod assequi industria poterat; et si non tam ut officio suo, juvenilibus se animis auribusque accommodando, satisfaceret, tempusque etiam non ignave oblectaret, quam ut immortalem sibi pareret famam, elaborasset; profecto non dubito, quin hodie summis latinae satyrae artificibus par poneretur.

COMMENTARIOLUM

DE JOHANNE BAPTISTA GRASERIO

Ut quantum generi demas, virtutibus addas.
HORATIUS Ep. XX.

CLEMENTINUS VANNETTIUS
ANTONIO CAESARI SODALI
PHILIPPIANO VERONENSI

S. D.

Graserii civis mei, hominis excellentis, ejusdemque Horatii nostri lectioni imitationique inprimis dediti vitam, nuper, ut brevissime potuit, a me conscriptam, cui dedicem potius, quam tibi, jucundissime ac praestantissime Antoni? Tu enim lectissima illius poetae carmina etruscis versibus ita expressisti, ut cum ceteris omnibus, qui idem ad hanc diem sunt conati, quorum incredibilis est turba, quandam quasi noctem tua luce offuderis; tum ejus non tam interpres, quam omnino aemulus vi, granditate, elegantia peritissimo cuique sis visus. Simul et illud consequar, quod jamdiu specto moliorque, ut testatam aliquo officio apud omnes faciam tum benevolentiam, tum observantiam erga te meam, qui te prorsus et amem tanquam carissimum fratrem, et ut prudentissimum studiorum aestimatorem judicemque reverear. Nam quod Horatium illum ipsum abs te conversum mihi pro tua singulari humanitate dicaveris; in eo si tibi vel hoc, vel alio quovis munusculo par pari referre postulem, profecto desipiam;

etenim tali tantoque monumento immortalitatem mihi abs te donatam existimo, a cujus quidem vel spe tenuia haec nostra quam longissime absunt. Quae tu tamen non re ipsa, sed animo ac voluntate metiere, nosque mutuo, ut facis, amare perges. Quantum autem amabis, tantum valetudini inservies tuae, qua te optima ac perpetua frui, non tua magis interest, quam omnium nostrum, qui latinas tuscasque litteras immoderatis quorundam ingeniis cum maxime laborantes tuorum ac tuis similium scriptorum sanitate quam firmissime sustentari recrearique exoptamus. Vale.

DE JOHANNE BAPTISTA GRASERIO

Johannes Baptista Graserius, sacerdos, Roboreti Pistore genitus, ex summa inopia atque humilitate ad censum et honores magnis naturae bonis processit. Patre, qui per somnos obambulare soleret, gravi casu exstincto, puer, quamquam plebejo artificio destinatus, in ludum ab sapiente et sedula matre (ea fuit Dorothea Barberia Iseriensis) missus est. Quum autem indoles in eo singularis quaedam enituisset, ut non litterarum modo elementa celeriter disceret, sed etiam quae aliis ea supergressis a magistro praecipiebantur, simul arriperet, haesitantesque adeo admoneret, ad reliquas disciplinas multorum hortatu admotus, ut suam matrisque paupertatem interim toleraret, fuit ad manum Francisco Petronio jurisconsulto nostrorum ejus aetatis praestantissimo: quem quidem adolescentuli acumen in errore ipsius quodam animadvertendo admiratum, talium posthac emendationem eidem ferunt permisisse. Ceterum nec magistros habuit solertiae suae pares, et altiora quoque multa percepit, monstrante nullo, velut Euclidis geometrica. Quare nobilium adolescentium brevi praeceptor ipse et rector evasit.

II. Neque multo post (is fuit annus a C. N. cIↃIↃCCXVIII.) ab suis civibus ad Rhetoricam in Gymnasio explicandam delectus, ita id oneris quadriennium sustinuit, ut Poeticam quoque assumens, ac utriusque non rivulos, quod decessores sui fecerant, sed fontes ipsos largissime aperiens atque effundens, multos optima aemulari assuefecerit, neminem non sentire. Nec enim quenquam, nisi recti generis saltem intellectu atque amore imbutum, ab se dimisit. Hujus e schola prodiit etiam Gregorius ille Fontana, cujus

facundiam adeo non fregerunt mathematica studia, ut qui in his hodie floreant, omnium non modo doctissimus, sed etiam disertissimus tota Italia habeatur. Ergo nos talium virorum colloquio propter necessitudinem aliquando interfuimus, quum hic illius disciplinae acceptum referret quidquid in latinis et nostris litteris posset: illi vicissim divinam hujus mentem jucunda praesagiorum suorum recordatione in coelum tolleret, seque nulla re magis fortunatum, quam tanto discipulo praedicaret (1).

III. Per idem tempus litterariae sodalitati, quam Valerianus Vannettius pater meus sub clientela Theresiae Augustae instituerat, atque ab lente ex praecepto Horatii componendo Lentorum vocaverat, ita ad omne officium se praestitit, ut, quamvis Hieronymo Tartarotto, quocum conjunctissime vivebat, malignius obtrectante, non solum frequens recitator adfuerit, sed et initio statim duumvir ei moderandae sit creatus, et epistolas latinas ipsius nomine aliquandiu scripserit, et appellationem quoque ejus existimationemque ab Lipsiensis cujusdam reprehensoris inepta cavillatione scitissimis litteris vindicarit (2). Francisci autem Rosminii, ejus qui lectissimis conquisitis libris Tartarotti aluit industriam, assiduis precibus fatigatus, Bulsanum in Germania demigrantem, oratoria quidem professione aegerrime relicta, sequutus est, ejusque liberos litteris et philosophia erudivit. Hanc postea quoque in patriam reversus, privatim docuit rerumque pariter divinarum scientiam. Ubi et Tartarotto in supremis amantissime assedit, deficientis animum excitans laetae immortalitatis spe, et novissima ad amicos mandata non sine lacrymis excipiens: a quo etiam cum scripta ejus universa sibi commissa sunt, hac lege, ut ipsa affecta perficeret proferretque (ea morientem maxime angebat cura); tum vero ad id legata plus

cccc. nummorum philippeorum summa. De hoc post efflatam statim animam, commentarioli instar latine exaravit, cujus exemplum inclusum in theca plumbea cum corpore loculo est conditum. Id postea Claramontius vulgavit in libris Pauli Galeardii epistolarum (3); estque, praesertim ut a turbato et properante, scriptum satis polite. Eundem porro tusca oratione inter funeris publice decreti solemnia in aedium sacrarum maxima, ubi sepultus fuerat, lugubri apparatu, celeberrimo omnium ordinum conventu, summaque assentione laudavit; quae item oratio est in manibus (4).

IV. Ac Graserii quidem fama quotidie latius manante, quum per eos forte dies et Antonius Roschmannus Custos Theresianae Bibliothecae, cui fuerant cum Tartarotto non ignobiles controversiae, Oeniponti obiisset; ipse Josephi Spergesii opera, clarissimi viri, qui tunc erat Augustae a consiliis, in demortui locum, dum alia omnia moliretur, est invitatus, delegato etiam sibi (quamquam haud ita magnis praemiis) Philosophiae, quae est de moribus, in Oenipontano Lyceo praelegendae munere. Quod quum tredecim ipsos annos exercuisset, (inierat autem anno cıɔıɔcclxi.) oblatamque interea ab Carolo Firmiano praefecto Insubrum, eodem auctore Spergesio, Gregorio quoque Fontana impellente, juris publici sacri apud Ticinenses interpretandi provinciam, crassioris aeris metu, an reveritus, recusasset; ad exponendam notitiam et gestarum ubique omni memoria et scriptarum rerum aliquanto commodiore conditione traductus est: denique triennio post universam divinae scientiae rationem ex Patrum, quos appellant, libris collectam enarrare jussus, auctoramento philippeorum nummorum ccxcv., merita quidem publico experimento ejus laurea. Petierat autem non semel

per libellum vehementer, ut eloquentiae potius doctrina ejus, quae sacris esset concionibus accommodata, sibi demandaretur: hanc se ab adolescentia et amasse singulariter et coluisse, eoque fidentius studium in ea suum polliceri. Quod quam vere affirmaret, indicio sunt cum aliae complures de caelitum laudibus, deque christianis mysteriis copiose sapienterque ab eo perscriptae orationes, quas apud cives suos dixit (5); tum vero eximia illa de luctu Virginis, quam pater meus prope vi ab eo expressam jacere in tenebris non est passus (6). Sed quum responsum tulisset, eam artem jam non alia, quam germanica lingua Oenipontanis tradi fas fore, acquievit.

V. Summum Lycei magisterium adeptus, (qui dignitatis gradus philosophiam in ea urbe profitenti patuerat ante se nemini) mores prudenti censura et bono modo exegit, qui praesertim Plutarchi Platonisque institutis cumulatum gereret pectus: prorsusque quae suarum partium essent, nihil non religiose implevit; ut etiam triennium continuum ordinandae et in amplissimos indices referendae bibliothecae insumpserit, quam et multis, iisque egregiis libris, in Italiam subinde Venetiarum tenus recurrens, locupletavit. At Germani, quibus scientiae fidem, nisi crebris voluminibus haud ferme facias, indigne pati videbantur, quod ipse nullum extunderet. Qua re induxit animum, ἀκροάσεις proferre latinas duas, quarum alteram de cognatione moralis philosophiae cum prudentia juris habuerat (7), alteram de historiae amoenitate utilitateque, ac de historicorum optimis eligendis (8). Hujus, quod in pervulgato argumento non vulgaris esset pulchritudo, est a nobis in Litteraria Acta Vicetinorum missa epitome (9).

VI. Verum haud paullo justior erat querela Italiae, maximeque suorum civium graviter hominem incusantium,

quod Tartarotti neque promeret scripta, nec vitae memoriam expediret. Hanc ille tamen adeo non neglexit conficere, ut id ipsum, quominus evulgaret, obstiterit, quod verbosissima diligentia grandi volumine expositam et instructam circumcidere pressius atque elimare, quamvis semel iterumque aggressus, nunquam sustinuit (10). Digerendis vero supplendisque scriptis quum grate cupideqne primo incubuisset, mox et difficultate excipiendi interrupta, et desperatione quadam detexta aequandi revocatus, cessisse oneri existimatur. Quod utinam vel unum illud de judicio, κριτική quae dicitur, divinitus a Tartarotto descriptum inchoatumque opus exaedificasset: profecto et amici gloriae et suae satis in omnem posteritatem consuluisset. Carmina quidem ejus dispersa, liturisque et interpositionibus foede oblita recensuit, ac transcribens generatim, in unum corpus redegit; immo prorsus et emittere cogitavit; sed optimum consilium per inimicissimas moras evanescebat. Quod quum ipsi postea fecissemus civium postulatione convicioque permoti, paene nobis succensuit, quanquam ejus erga nos merita in praefatione professis; dolens velut imposita sibi per alienam curam incuriae nota (11). At eadem haec carmina quum in Actis, Litterariis Vicetinorum asperius concerperentur (12), ipse scripto defendit, quo de nobis quoque plura est conquestus, quod et ipsi Tartarottum alicubi perstrinxissemus: quasi vero aut non libera sit etiam magnorum virorum censura, aut non utique magnum virum cetera fateamur quem in quibusdam tantummodo reprehendimus, aut non ipsa denique reprehensio ad praeconii proficiat fidem (13). Quanquam benevolentia in defunctum lapsi etiam pulcher nobis videtur error.

VII. Jam autem senior, perfunctusque duodeviginti stipendiis, ob frequentem adversam valetudinem, maximeque

stranguriae vitium Lycco renuntiavit, impetratisque honoris nomine philippeis nummis in annos singulos CLIX., de medicorum consilio natale caelum suadentium in patriam se, tanquam in portum, retulit, et quod reliquum aevi fuit, non tam otiose, quam quiete peregit. Decessit ipso illo morbo praesenti animo, riteque omnibus religionis praesidiis parato, octavo et sexagesimo aetatis anno, post C. N. CIƆIƆCCCLXXXVI., decimoquinto Kal. quintiles: elatus magna frequentia sponte exequias etiam lamentis laudibusque concelebrantium.

VIII. Hic ut corpore, sic ingenio persimilis Aesopo fuit. Sagacitas in eo mira, peracre perque sanum judicium, memoria singularis, multum argutiarum dictorumque et in respondendo et in lacessendo; ut, occasione data, non temere cuiquam parceret: citra fel tamen, et livore ita nullo, ut candidorum mordacissimum, et mordacium candidissimum jure appellares. Erat autem cum anserina voce, obtutuque oculorum gravi, et obeso habitu supercilium plane censorium, quod haec ipsa faceret, eo jaciente, salsiora. Circumferuntur adhuc nonnullae ejus urbanitates, in quibus et hae. In petitione curionatus, quam primam obibat, quum ceteros candidatos in solito fieri periculo concordi suffragio superasset, magistro sacrarum cognitionum excusanti praelatum alium, qui jam saepius petitor adfuisset: *Immo vobis* (inquit) *me excusatum volo; putabam enim pro mea inscitia, capitis rationem in ea re, non pedum, haberi.* Diligentissimae ceteroqui matrifamilias fortuito quodam errato suo famulis coram deprehenso erubescenti: *Bene* (inquit) *ita me Deus amet, factum*[1], *et gaudeo: nam quid his miseris futurum erat, ubi quid errassent, si tu te nunquam hominem esse intellexisses?* Adortus necessarium suum, egregium calculatorem illum quidem, sed leviculum hominem,

qui tum casu, nescio quid, ad calculos revocaret: *Atqui* (ait) *proponam ego tibi calculum, qualem tu subduxeris antehac nunquam.* Et illo subridente, seque nullius non generis subduxisse adjurante: *Narra* (inquit) *mihi: subduxisti unquam hunc calculum, quantillum salis in isto sincipite sit?*

IX. Productum ab adversario testem destructurus: *Prodeat sane* (inquit) *iste, qui nihil habet, quo testis vocetur, praeter sexum.* At notaturus curionem, qui sibi in sacrarum legum scientia ineptissime placebat, hac definitione usus est: *Legum sacrarum peritus, est vir longus et canus in veste nigra, verba ex sacris legibus recitans.* Juvenem jus civile a quodam discentem, in cujus filia suspectus erat; *paria facere eum magistro* affirmavit, *qui vicissim ejus filiam naturale doceret.* Praetereunte muliercula, quae male audiebat, et quodam dicente: *Hanc rumor est esse impudicam: Immo* (inquit) *ut illam censes? tanta ei est pudicitia, ut veno etiam supersit.* Infirmioris vero animi atque immodice religiosi sodalem, sed qui videri vellet discussisse jam vitium, quum ad ejurandam, siquidem vera praedicaret, superstitionem in certas, quas ipse praeiret, exsecrationes palam in trivio provocasset, cunctantem dimisit cum hac voce: *Tu vero nec convaluisti, nec convalesces;* secutis omnium cachinnis. Aliquando ad rixantium in caupona, jamque sicas parantium clamorem quum accurrisset, blande sciscitatus: *Reficiendi ne sui, an interficiendi gratia convenissent;* ac statim oblatum forte cymbalum pulsans, in numerumque inconditum illud corpus circumagens, miraculo rei perculsos in concordiam subita hilaritate reduxit. Idem insigni innocentia virum, qui R litteram in loquendo devoraret, *mortalium esse* ajebat *flagitiosissimum; facere enim ex Praedicatoribus Paedicatores consuevisse.*

X. Verum hactenus; etenim usquequaque festivitatem

dicacitatemque ita usurpavit, ut inter homines ejusmodi, quales Mannius sub titulo jucundarum noctium describit, facile primas tenere posset. Nam quod praetextatis quoque verbis, etiam in scribendo, aliquoties cavillaretur; id, nescio quomodo, neque in illo dedecebat, quum praesertim boni fere aliquid ultra verba lateret; nec suspicionem dabat licentioris vitae. Quod haud scio, an argumentum sit spectatae, ac supra fabulas positae integritatis vel maximum. Qua in re si quis aliter sentiat, is a summis viris dissentire se intelliget, si ea legerit, quae ad Paternum et Aristonem scribit Plinius Caecilius. Porro hac libertate, quae tamen habebat superbum nihil neque arrogans, fiebat, ut etiam potentiores viri non sine quadam benevolentia ipsum revererentur. Exhibebat enim illis fidem, non obsequium venditabat, qui sciret, obnoxios primo foveri, dein proculcari. Verum autem apud ipsos, rem odiosam nunquam tacebat, sed condiebat iis salibus, ut ridentes admittere cogerentur.

XI. De reliquo, natura ad dicendum scribendumque unice aptus, quum potissimos utriusque linguae auctorum paene memoriter teneret, nullius se imitationi perpetuo addixerat; quem vellet cumque ita imitabatur, tanquam si ei uni inhaesisset. Atque eminebat sane in latina ejus universa oratione M. Tullii, cui innutritus erat, ubertas et color; sed idem infuscabatur saepe cum peregrinis vocabulis, tum laxiore structura, ut ad Erasmi fere exemplum multa in elegantia, pingue tamen quiddam subesset et promiscuum. Hac lingua, praeter ea quae commemoravimus, libelli sunt ab eo expositi duo, quorum altero Georgii Gaari sacerdotis germani, qui Delrianas partes secutus, sagarum patrocinium adversus Tartarottum susceperat, perniciosas ineptias, praebita sibi ab eodem Tartarotto rerum silva, quo

et in Germaniam sua ratio divulgaretur, explosit, totam illam quaestionem perquam argute revocans, et illustrans (14). Altero homini cuidam a romana veritate alieno, a quo hic ipse libellus in germanicum sermonem fuerat translatus, nonnulla perperam in Italiam, ac nostrates theologos annotanti lenissime simul et validissime restitit (15). Quem item libellum idem ille convertit, adjectis pariter annotationibus (16). Igitur in utroque ea stili nota, quasique mistura apparet, quam diximus.

XII. Pangendi repente carminis facultate Nasoni proximus, dormiens quoque, quum id ipsum somniaret, nihil somniis tribuendum esse, epigramma in eam rem fecit, cujus unum hunc versum insedisse evigilanti adnotavit:

Somnia si curas, rebus ineptus eris.

Ovidianam vero facilitatem sequebantur fere qui solent, fluxi citatique, et minime variati numeri; neque tamen id semper. Nam alias Horatii, gratissimi sibi poetarum qua destringit, et docet, vim ac succum et felicissime quibusdam sermonibus expressit, et adeo libenter, ut, quod ille ipse nonnunquam fecit, Canidiae praesertim iratus, et Menae, lyricis quoque nasutae bilis aspergeret acrimoniam. Nec Lucretii venerabilem antiqua sinceritate, et per difficillima eluctatam majestatem tentare auso, non ex sententia res cessit, egregio justoque de praestantia Dialecticae ad Augustam confecto poemate. Quod quidem saepius per intervalla castigatum, fallentibus quasi nonnulla improbarent qui illud Viennae in catalecta quaedam referendum ex composito acceperant, satis habuit indulgentissimae in se reginae et amicorum oculis subjicere; sic tamen, ut appositas a Viennensibus notas accuratissima expungeret ad Clementem Baronium epistola, virum summis doctrinae ornamentis praeditum, qui tanti eum faciebat, ut elegantissimum illud

de Blanditia veterum Romanorum volumen honori ejus dedicarit (17).

XIII. Omnino autem et patria lingua utroque genere dilucidi magis ac solute fluentis, quam exculti sermonis laudem tulit, utpote etiam redundantiam non nimis devitans, et in sordes quasdam liberiore securitate incurrens. Quod si quando altius se extulerat, eundem tamen impetum haud diutius servabat, quin inaequaliter veluti jactaretur. At inveniendi subtilitate paucissimos habuit pares, praesertim quum aut jocosa multis versibus funderet, aut paucioribus vibrantes sententiolas includeret, ex ambiguo quidem fere ad Martialis consuetudinem ludens. In quo adeo prompta ac feraci fuit mente, ut inscriptionis, quae Tartarotto regia auctoritate in templo maximo est posita, fatuum quendam censorem latina valde bella epistola jam ante ab se refutatum (18), mox tuscis epigrammatis centum, additis quoque risus gratia prooemiis, ceterisque, quae vero in libro assolent, per falsissimam praeconii simulationem sub *Testiculi* nomine exagitarit, cum Lazzarellio illo Eugubino, qui primus *Testiculeida* scripsit, clausularum acuminibus certans: quod pluris aestimamus, quam si prior ipse excogitasset; quum difficilius sit occupata aemulantem invenire laudem, quam afferentem nova (19).

XIV. Verum, ut demonstravimus, regnavit maxime in eloquentia, ad quam praesertim, ut Cicero, non ex rhetorum magis pigmentis, quam ex philosophorum disputationibus solida sibi subsidia comparasset, ac nunquam non dicendi et intelligendi disciplinam absurde distractas veteri veroque instituto conjunxisset. Nec vero tam arte quam naturae quadam similitudine ciceronianam reddebat facundiae formam, non ille quidem frequentanda ornamentis, edolandaque oratione, sed cum locis communibus

pertractandis, ac fide rebus concilianda, aut demenda, tum et oppugnandis adversariis, et auditoribus subeundis: solitus etiam, quid in quamque sententiam simillimum veri dici posset, in utramque partem disceptando, tanquam elicere; velut olim contrariis inter se orationibus quum eorum, quae lingua peccantur, nihil assentatione perniciosius esse contendisset, vicissim omnium ejus peccatorum esse obtrectationem defendit perniciosissimum; itemque quum poeticae laudes ingeniose evertisset, easdem rursus pulcherrime stabilivit (20). Hac blandiente tam mobili versatilique dexteritate, multum in causis tum sacerdotalibus, tum civilibus et expetitus, et (quoad non officium repugnaret) versatus est; nec fere ultra scilicet, quam ut libellos, vel quasi orationes conficeret, quibus patroni cognitoresve uterentur: id quod etiam in causa capitis pro reo, qui hominem in jurgio occiderat, fecit ita feliciter, ut, permotis ad misericordiam ex anteacta ejus vita caedem irae adscribendo judicibus, ipsum servarit. Neque in recipiendis clientelis lucello unquam magis, (etsi ne id quidem propter suas angustias aspernabatur) quam caritate hominum ductus est; nam tenuissimo cuique et libentissime et gratuito opem tulit.

XV. Ceterum et suo nomine, hortante quidem, ut rem susciperet, Tartarotto, volumen patrio sermone perscriptum edidit pro caeco atque egentissimo patre, cujus miseram senectutem unicus filius sodalium religiosorum familiae devovendi se gratia impulsu ipsorum deseruerat. Quo in volumine rem a definita ad communem quaestionem traducens, ita de filiorum in parentes officiis, de germano Christi verborum in eam rem sensu, de vero instinctu divino nec praecipuis Dei praeceptis adversante unquam, et ab humanis sejuncto artibus, deque impietate

pietatis saepe occupante speciem, collatis undique argumentis atque auctoritatibus disserit, nihil ut fieri possit eodem discrimine implicitis vel ad doctrinam vel ad cautionem utilius (21). Hoc ille opus unum ex omnibus usque eo adamavit, ut extremo tempore semper aliquid interpolando propemodum duplicarit, elegantissimeque descripto archilochios versiculos praeposuerit, qui, quid sibi caussam scribendi attulisset, indicarent (22). Pari modo exorta inter Sacerdotes Roborctanos, et Sodales Corpori Christi comitando controversia (*Atros et Albos* ex amictu, sed etiam ex Pistoriensibus antiquis factionibus ipse urbane appellabat (23)) σύνταγμα de loco proprie sacerdotibus in templo ad sedendum attributo (id enim agebatur) interioribus fultum rebus, tusce primo vulgavit successu bono (24); iterum, suadente ex Aulicis quodam, latine, et quidem sublatis, quae litem continerent, cetera multo refertius; dicavitque Josepho Garampio Purpurato inter paucos litteratissimo, eidemque eximio patrono suo, etiam tum Pontificio apud Caesarem Augustum Legato (25). Hujus postea hortatu ejus libri exemplum Pio VI. Pontifici Maximo cum latinis litteris verecundae cujusdam ac suavis fiduciae plenissimis muneri misit (26). Qui quum anno cIↃIↃCCLXXXII. a. d. VI. idus majas hac Romam e Germania rediens, apud Horatium Piccinium mansisset, (quem diem prae ceteris faustum sanctumque nostra semper habebit civitas (27)) Grascrium ipso coram adducente Garampio, benigne exceptum, atque haud brevi dignatum colloquio, maxima corona, gloriosissimis laudibus honestavit (28).

XVI. Porro has commentationes ex earum numero esse arbitramur, quae et plura et majora lectoribus praestant, quam prima fronte polliceri videantur; rara alioqui operis supra titulum fide. Scripsit tamen sub aliorum persona vel

melius; audacius certe jucundiusque exultavit, praesertim quum adversariorum rationes ad perpetuas facetias cum quadam gravitate transferendo dilueret. Quo pertinent scilicet quae pro Collegio Sacerdotum Arcensium eorum, quibus fecere κανόνες nomen, contra ipsorum emisit Praesulem (29), et alia tum edita non pauca, tum plura etiam latentia, in quibus et cum consultissimis juris strenue congressus est.

XVII. Atque erat ille quidem in omni genere doctus; sed non tam multa, si quaerimus, legerat, quam in numerato habebat quidquid semel legisset. Tum velox fecundumque ingenium quamvis multa generabat ex paucis, et quae minime aliis in mentem venirent; atque haec enucleate definiens, et disputans dilatabat exemplis augebatque, et per omnes quoque affectus versabat pluribus modis: tanta perspicuitate, ut vel minus attendenti affigerentur; tali autem ordine et tam arcta colligatione, ut quae initio sumpsisset, concessis, jam irretitus undique tenerere. Nam et nonnulla tractavit ea plane via, qua mathematicorum percepta demonstrari consuevere. Itaque nec ampliorem eruditionem desiderares, quae quidem tot actuariis verius, quam auctoribus aliena modo conglutinantibus pro integumento est aridissimae nuditatis. Nihil autem non prima intentione animi protinus, ac paene sine litura formabat, repetendi emendandique, nisi diu reposita, et per occasionem locorum aliud agenti occurrentium, insuetus, sic, ut paullo exquisitiori curae calumniae nomen imponeret, eique indulgentes nervis misere defici dictitaret. Sed licere quodammodo videbatur ejus felicitati vel diligentes pro putidis insectari. Nam quum plenae frugis sententiae, callidissimique colores ultro illi succurrerent, haberetque oratio pondus, nescio quod, naturalis prudentiae et auctoritatis,

accederet etiam aculeorum non parva delectatio; ex eo fiebat, ut ejus scripta, quamvis subitis, quam cogitatis propiora, nunquam non ad praesentes usus summopere probarentur. Ergo habebat in ore cum cetera Horatii Flacci effata, tum illud in primis:

Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae;
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Secundum hoc, videndum esse, ajebat, etiam atque etiam *quid deceret*, in eoque custodiendo ponebat omnia.

XVIII. Sua tamen ipse, vel ob eam rem, quod esse multum infra vires sciebat, adeo non mirabatur, ut, si jocularia excipias, quae amicos exhilarandi gratia libenter recitabat, pleraque etiam contemneret. Nec vero facile de doctis hominibus reperietur, qui illo minus, sive judicio, sive ignavia, fuerit appetens gloriae, minusve studiosus, quae scriptitaret, spargendi in vulgus, nomenque litterati aucupandi. Itaque etiam quod de Porcio Latrone, ac de aliis summis viris accepimus, quum res postularet, maximeque si quid majoris caussae ad se esset delatum (cujus generis erat avidior), aut si qua indignatio stimulos admovisset, ita se mente ac voluntate conjiciebat in studium, ut dies noctesque scribendo continuaret. Rursus ubi nihil erat, quamobrem operi instaret, remisse ac nuganti similis cuncta agebat, relaxabatque animum in omnem jucunditatem, modo chely, saepius alea se oblectans. Qua quoties iniquiore utebatur, nimium miris modis ludibrio erat vincentibus ob iracundiam usque ad jurgia exardescentem, non utique avaritia, ut interpretabuntur qui mores in lusu vel maxime prodi putant; sed quod diceret, *nullam probabilem esse caussam, quare ipse fortunam haberet iratam, propitiam alii, praesertim vappae ac nebulones.* Adeo verum est quod ajunt, nulli magno ingenio non dementiae quid inditum.

XIX. Oeniponti quum degeret, lingua germanica atque gallica juxta et loqui et scribere didicit; neque id magis ex libris, alienave legendo, aut tusce transferendo, quod tamen factitavit (30); quam ad vinum et inter convivia. Quae quidem si parcius agitasset, qua constitutione fuit, fortasse ad extremam senectutem pervenisset. In quo tamen ipso cum poetarum consuetudini, ac prope legi parere videbatur, (non enim Arcesilaos et Catones opponemus) tum vero citius non frugi, quam intemperantem diceres. Ceterum abstinens et probus vir fuit, mentisque haud paullo, quam linguae, lenioris. Eodem veri amore, quo simulationem virtutis barbariemque vexaret, virtutem, et doctrinam, ubiubi essent, complecti; optimatum gratia neque efferri, nec ad aliorum perniciem uti, saepeque e contrario ad salutem; et consuli utiliter, et consulere mansuete; in quo Clementem Baronium ex amicis litteratis merito habuit praecipuum. Non aliud palam, aliud secreto agere; sed in summa res animosque tractandi solertia parem colere simplicitatem atque honesti custodiam; quodque non parum mirere in versutissimo homine, tantum a suspiciosa sollicitudine abesse, ut quemcumque semel expertus esset a dolo vacuum, ei postea vel cum damno pertinacissime crederet, seu quod judicaret, non facile quenquam immutari, sive quod fidelem facere ipsa fiducia speraret. Ex quo etiam intelligi licet, quas susceperit necessitudines, (suscipiebat autem lente, homo alioqui popularis, quae hoc nomine dignae essent) in iis ita usque permansisse, ut offensiunculas pariter ac blanditias transmittens, unam spectarit benevolentiae vim: certe amicis ac patriae nunquam facultatem habuit benefaciendi, quin fecerit.

XX. Quod dubiis illis ac formidolosis temporibus maxime declaravit, quum Tridentinorum Pontifex ob quorundam

(ut suspicio fuit) suasum Tartarotti memoriae jam ab impressione in veterem philosophiam, et quaestuosas, nescio quas, superstitiones ab eo facta penitus incluso odio infensorum, aedium sacrarum, quae Roboreti sunt, maximam, quod talis viri signum e marmore decreto consilii in ea collocatum fuisset, obscuriore tamen loco, et in modum ornatus more Italiae recepto, pro violata, interdictis religionibus, claudi jussit. Etenim perturbato et abstracto in diversa populo, magistratibusqne iniquorum calumnia in seditionis auspicionem apud Augustam vocatis, Graserius haud scriptura minus, quam verbo, cum tuendo mortui pudore, (nam is quoque probris lacerabatur) expromendoque civitatis in ea re jure, tum patefacienda et eam administrantium innocentia, et inimicorum fraude, ita suis Oeniponti primum, deinde Viennae, ubi omnes posset adversae factionis conatus investigare, fuit praesto, ut quum optimae reginae jamjam aliena perfidia a clementia sua ingratiis discessurae submota diu veritas illuxisset, omnia illa impendentium malorum disjecta tempestas sit (31). At non ingratae civitati vicissim fuit curae, tribuere ipsi aliquam tanti meriti ac laboris mercedem.

XXI. Qui quidem et rem gestam totam accurata, nulloque fuco illita narratione patrio sermone explicatam doctissimis insuper, quod ad controversiam attinebat, observationibus persecutus est, sic, ut quum hujus scripti exemplum Carolo Firmiano legendum esset missum, talis vir satiari ejus lectione non posset, ac nullis precibus perductus sit, ut remitteret. In eo Tridentini quoque Concilii locum de imaginibus, quem adversarii stultissime urgebant, divinitus suo more interpretans, (nam et ab hac parte erat mirabilis) satis liberum et memorabile posuit verbum: *Praebuisse quidem Tridentinos Concilio sedem*,

Concilium ipsum nec ducentorum annorum spatio intelligere didicisse. Hoc scriptum quum auctor publicare per Lucenses librarios pararet, injecto timore ingentis invidiae, etiam tum vivis, quorum fallaciae detegebantur, subito consilium abjecit. Nunc iis exstinctis, si quando in vulgus exierit, apparebit profecto, utra ex parte pugnarit ratio, utra cupiditas; quaeque fuerit in homine divini atque humani juris intelligentia (32). Nam quod et notitiae tradiderit, unde, quoque pacto Virgines Salesianae in nostram urbem inductae sint (33); et Sodalium Rochianorum aegrotis recipiendis origine apud nos item exposita, etiam leges iis scripserit (34); qui libelli sine nomine sunt in medio; ea sane multis partibus minora ejus ingenio existimamus.

XXII. Hic ad talium rerum prudentiam maximum semper adjecit studium, re quoque de Christiana republica bene merendi. Quamobrem nec quoquam unquam migravit, quin ibidem operam statim suam antistiti sacrorum ad sanctissima quaeque obeunda munia detulerit; et vero Oeniponti advenas adolescentes duos peringeniosos, nec sine litteris, qui in Lutheriana haeresi nati essent, penitus in familiaritatem receptos, verum, quasi medius, una inquirendo, et ut quidque objiciebatur, auctores circa id maxime firmos depromendo, afflante numine, ad certissimam perduxit Romani dogmatis professionem. Legimus etiam epistolas ejus italicas duas ad quendam ex ea secta, qui Liberi Fratres vocantur, de sapientia justitiaque legum latoris et ultoris Dei, de humanae mentis imbecillitate, deque infelici insanientium sapientum adversus caelum conatu adeo instantes evidentesque, ut illum, quisquis fuit, si modo homo fuit, resipuisse non dubitemus (35). Post reditum in patriam, veterem morem suum revocavit, nullum ut diem festum temere praetermitteret, quo non ex aequo loco

ad populum loqueretur. Submittens autem se ad utilitatem audientium, ac vernaculo quodam lepore cuncta perfundens, (nam fere colloquentem ex adverso, qui rudem assimularet, docebat) ita etiam reconditiora figuris, et praecipue fabellis non allatis domo, sed e re natis variabat illuminabatque, ut multitudinem incredibiliter caperet. Quo facto, quum maximus ad eum fieret concursus, nemo unquam timebat, ne diu diceret; omnes, ut diu.

XXIII. Idem animi aequitatem firmitatemque non magis ex hac mortali, quam demissa caelo sapientia petitam cum in veris calamitatibus ceteris praestitit, tum maxime in acerbissimo eo, quo saepius conflictatum esse demonstravimus, morbo. Ac nullo non tempore sui similis, ne sub exitu quidem vitae, quum maximis vesicae ureretur doloribus, sibi temperavit, quominus facetias suspiriis intermisceret; jocatus etiam, *se Euclione avariorem mori, qui vel lotii guttam recusaret amittere.* Quin et testamentum planissime dictans, scribam, nosque, qui lectum moerentes circumstabamus, identidem subridere invitos cogebat, sed et praeclarum ex conscientia fructum tranquillitatis agnoscere. Quo quidem testamento, praecipuo inter necessarios cognatis honore habito ob memoriam dulcissimae matris, veterum quoque clientulorum egentissimos pro copia benigne prosecutus; libros suos Bibliothecae publicae, in qua ejus adhuc vivi imago posita fuerat, scripta tum sua, tum quae Tartarotti apud se essent, Francisco Saibantio legavit avunculo meo, perspectissimo sibi amico, qui cum omnis antiquitatis magnam cupiditatem, tum vero nostrae notitiam habet singularem.

XXIV. Reliquit autem praeter commentarios latinos sane amplos et fusos, ex quibus quamque disciplinam Oeniponti edisseruit, solemnesque praefationes et oratiunculas (36),

volumina quoque ponderosa duo rhetoricarnm poeticarum·que cujusquemodi et utraque lingua locubrationum, unde etiam melius perspici facultas hominis potest, quam vel ex orationibus iis, qnas vulgo legi docuimus, vel ex poematis, quae nuptialibus aliisve collectaneis libellis subinde inserta comparuerunt (37). In rhetoricis autem, quae dicebamus, excellit latina oratio bene longa, cui fecerat indicem, ei, qui ad eloquentiam aspiret, multum legendum esse. Quam quum vellet in lucem e scrinio educere, morte ejus, cui dedicarat, (is erat Franciscus Pimarta, munificus et in omnem partem utilis civis, qui rhetoricum ludum in nostro Gymnasio inopia fructuum intermissum restituit) interpellatus est (38).

XXV. Sed et variarum ejus lectionum festivam copiam haberemus; nam ut in quidque inciderat aut remotum, aut perplexum, aut impense lepidum, excerpebat, opiniones ac cogitata interponens sua; nisi id genus pleraque, ipso amicis liberalius suppeditante, intercidissent. Jucundissima quidem sunt qnae supersunt tum in adversariis continenter, tum separatim adnotata; velut de ortu Sodalium Franciscalium Capulatorum, in librnm de minuendo sacerdotum numero, et de se ipsos ad peccata expianda flagro caedentibus, tali conclusione: *sibi non placere qui natibus poenas pendant* (39). Praenitent tamen ὑπομνήματα patrio sermone tria, quorum uno principis viri petitu gallica quaedam perpenditur Defensio domuum religiosarum (40); reliqua duo eodem sunt argumento. Id est ejusmodi, ut quae olim Roschmannus pro germanis reliquiis Secundi Tridentini Historiarnm Theresianae Bibliotecae ovans intulerat, ea Noster nihil aliud esse ostendat, nisi trunca quaedam ex Paullo Diacono, qui Secundum in libris de gestis Longobardorum circumscripsit, ab recolente lectore summatim,

nec perite congesta (41). Haec Graserius strictim ad Spergesium primum, hujus, et Baptistae Casperii rogatu, docti hominis, qui tunc hujusmodi genera scriptionis haberet in manibus (42); post abundantius ad Petrum Justum Mediolanensem perscripsit, magnum itidem virum, et Poetria quoque Manzonia beatum conjuge, ejus vero rei cognoscendae percupidum. Qui omnes Graserii judicio sunt mirifice delectati. Ad varias hujus lectiones revocari potest et Epistola quaedam de Francisci Barbacovii, hominis optimarum etiam litterarum, non modo juris periti, pro petro Thunnio Tridentinorum Pontifice, eodemque Principe, quem honoris caussa nomino, in Gentilottum libro. Quae quidem exiit sine nomine in vigesimoquarto eruditorum actorum, quae Mutinae conficiuntur. Sunt autem Thunnii ipsius ad Graserium litterae, quibus ei de ea re ex occasione egit gratias, ita officii atque amoris plenae, ut si ad parem scriptae essent.

XXVI. Porro et apud nos extat latinarum ejus epistolarum ad nos ipsos e Germania per proximos decem annos, sine ulla intercapedine missarum luculenta συναγωγή: neque id mirandum; non ei facti eramus, sed nati amici, quum et magna sibi cum illo, qui nos procreavit, conjunctio intercesserit; cujus etiam ex morte quantum ceperit doloris, patet ex ejus epistola, quam Claramontius ejusdem illius vitae subjunxit: et ortum quoque nostrum (grati animi ergo hoc dicimus) poetica vaticinatione celebrarit, quae utinam vera evasisset. Quo etiam nihil fere joco seriove litteris consignabat, quin statim pluteo nostro concrederet, sperans fortasse, ita facilius servatum iri. Quam ob caussam iis epistolis, quas memoravimus, quaeque et ipsa philologa multa habent, ut in Plauti Amphitruonem Curculionemque (43), et in Terentii Heautontimorumenon (44),

saepissime interjectum legas oratiunculae aliquid, aut versiculorum, sive heroos, sive elegos, sive hendecasyllabos, sive quo alio genere malis. Nec absunt venustissimi lusus conflato ex utraque lingua stilo, quales Teophilus Folengus invenit (45), aut quales Camillus Scrofa, latinis ferme vocabulis in etruscos exitus ad effingendum paedagogum detortis: aliquot etiam exarati roboretana dialecto, quam princeps poetice loqui instituit amicus ejus Josephus Givannius perridiculis fabulis Areosti metro, Berinii hilaritate compositis.

XXVII. Itaque ut nonnullam huic erga nos benevolentiae fiduciaeque gratiam referamus, scilicet ex latinis ejus carminibus subtexere constituimus quod ad declarandum sit satis, quantum ille vel dulcedinis, vel amaritudinis, vel leporis vel roboris, quoties acrius intenderat, exhiberet. Nam ad cetera quidem ejus scripta quod attinet, incerta admodum et difficilis fuerit electio, quum fere sit nullum, quod idem, si lumina ingenii spectes, publicandum non censeas; idem, si numeres incuriae vestigia, non judices supprimendum. Ita in hunc prope ad verbum convenire dixerim ea, quae de Cajo Memmio pronuntiat Cicero in Bruto; *argutus orator, sed fugiens laborem, tantum sibi de facultate detraxit, quamtum imminuit industriae.* Quam quidem conjicere posse videor multo majorem in eo futuram fuisse, si, Firmiano obsecutus, Germanis collegis illis relictis, quorum solertissimo cuique minimo ipse labore se antecedere intelligebat, in mediam matris Italiae lucem, atque inter eos sodales venisset, per quos sibi impune socordi esse non liceret.

XXVIII. Utcumque ea res sese habet, in tantum indulsit homini favor, ut et civibus suis, et quibus ubique esset notus, (notior autem inter germanos, quam inter nostros fuit, quod et ibi plurimum vixit, nec quae scribebat,

in nostras urbes dispergere laboravit) sed quibus notus esset, iis nihil, quod esset ab eo profectum, non vel ideo statim praeclarum videretur, adductis videlicet tanti acuminis opinione, cunctarumque ejus cumulo laudum, ac considerantibus magis, per quae impedimenta et ex quibus ille latebris emersisset, quam ad quantum fastigii, si omni ope annisus esset, evadere potuisset. Quod nos quidem non reprehendimus, sed dissimulare nihil voluimus, quo aliis, quibus pari modo negligentiam faciat fecunditas, pro virili parte calcar adhiberemus. Semper enim scribenti hoc est cogitandum, humani animi ad perfectam pulchritudinem nati non superbum, sed justum esse ingenitumque fastidium, ut aspernetur quidquid non omni ex parte ad eam quam proxime accedat. Fieri autem aliquando potest, ut quae commentantibus nobis placuerint, ea non aeque aliis probentur; illud quidem certe fiet nunquam, ut probentur aliis diutius quae nobis non plane arriserint ipsis. Quare sicut in vita, sic in scriptione est quaedam conscientiae vox atque norma, ad quam nisi omnia exegerimus, serius ocius incorruptorum approbatione excidamus, necesse est.

EXPLICIT FELICITER.

ADNOTATIONES

(1) Graserii qualem semper Gregorius Fontana habuerit memoriam, ostendunt autographae hujus complures ad eum epistolae, ex quibus carptim pauca afferemus, quae non solum Magistri merita, sed et gratum Discipuli, hominis tota Europa celeberrimi, illustrent animum. Sunt igitur verba ipsius haec ex epistola prima Ticini data: *Non dovrò io mai risolvermi d' intavolare un regolare instruttivo carteggio con un uomo, ch' io tanto stimo ed apprezzo, e di cui mi sarà cara la memoria, finchè mi saranno care le lettere?* Et rursus: *Ho voluto parlare con tutta l' effusione del cuore ad un uomo, per cui conservo tanta tenerezza e venerazione, e da cui mi glorio di aver succhiato il primo latte. Io intendo però, che ciò sia con usura, affinchè ella si degni di mettermi a parte delle sue occupazioni ec.* Et aliis litteris de Graserii opusculis, nescio quibus: *Ho scorsa la sua bell' Opera con mio gran piacere, ed ho veduto, ch' ella si fa sempre conoscere per quel valentuomo, che è, qualunque materia imprenda a trattare. La lettera latina è scritta con moltissima leggiadria, ut Graserium possis agnoscere, e condita con quel sale attico, che tien sempre viva la curiosità, nè lascia mai venir meno, e diminuire il diletto.*

(2) Eae litterae datae sunt ad Sebastianum Veissum VI. Kal. Febr. anno MDCCLVII. Bulsani. Is enim Augusta Vindelicorum miserat ad Graserium ea, quae anno MDCCLVI. in Lipsiensi Ephemeride (*Novissima ex amoena litteratura* vocabant) ad mensem Junium de Litteraria Sodalitate Roboretana impudentius perscripta essent, Christophoro Gottschedio auctore. Qui quidem anno post ad mensem Octobrem Bruckeri opus memorans *Institutionum Historiae Philosophicae*, quod ille, tantus vir, sodalitati dicatum voluerat, dicteria ipse sua obliqua revocare est visus.

(3) Vide volumen earum secundum p. 144. Invenimus autem ab Graserio notatum, se in eo Commentariolo memoria lapsum scripsisse, Tartarottum natum esse anno MDCCVI. *Kalendis Januariis*, qui fuerat *IV. Nonas*; obiisse vero anno MDCCLXI. *XVI. Kalendas Junias*, qui *XVII.* obierit. Leviculus sane error, sed nihil in historia contamnandum.

(4) Adjectis complurium carminibus hoc titulo: *Orazione Funebre e Poetici Componimenti in morte di Girolamo Tartarotti: in Rovereda appresso P. A. Marchesani MDCCLXI.*, re autem vera apud Aug. Carattonium Veronae. Hujus libri mentionem invenies in Ephemeride Veneta, quae *Minerva* inscribitur, ad Num. XII. pag. 270. anno MDCCLXII. sicut numeraut Veneti, vulgo autem MDCCLXIII.

(5) Harum Orationum, quae calamo scriptae asservantur, indices posuimus: I. *Che la parola di Dio è necessaria a salute.* II. *Che l' umiltà è il principio della beatitudine dell' uomo.* III. *Delle lodi di S. Luigi Gonzaga.* IV. *Della gloria de' Santi, e della beatitudine del Paradiso.* V. *Che la scienza della Dottrina Cristiana è scienza feconda di frutti di santità.* VI. *Nel dì del Santissimo Nome di Gesù ec.* VII. *Nel dì di Maria Vergine sotto il*

titolo di Nostra Donna di Loreto. VIII. *Dell'Augustissimo Sagramento.* IX. *Delle lodi della Beata di Chantal.* X. *Tre Sermoni per S. Caterina Vergine e Martire.*

(6) Edidit Blanchae Laurae Saibantiae, quam postea uxorem duxit, dicatam hoc titulo: *Orazion Panegirica di Maria Vergine Addolorata, detta nella Chiesa de' SS. Rocco e Sebastiano in Rovereto il dì* 13. *Maggio* 1753. *cc. Rovereto per F. A. Marchesani in* 8. Johannes Lamius in Ephemeridis Florentinae Vol. XV., quod prodiit anno MDCCLIV., ad Num. I. *pulchram eam politamque* appellat. Vide etiam Vol. IV. P. I. Memorialium ad Historiam Litterariam, quae Venetiis edebantur a Valvasensi.

(7) *De eo, quod dicitur; ubi desinit Ethicus, ibi incipit Jurisconsultus; sive de Philosophiae moralis ad Jurisprudentiam necessitate, Acroasis habita in Oenipontana Universitate XVI. Kal. Martias anno MDCCLXI. in* 4. *Viadobonae typis Thomae Tratnerii MDCCLXVII.* De hac habemus Clementis Baronii judicium quadam ad Graserium ipsum epistola, quod instar est ephemeridum cantum. Est autem his verbis: *Ho letto con infinito piacere la vostra Dissertazione, e l' ho ritrovata piena di soda dottrina, di forte raziocinio e di scelta erudizione presa da' migliori savj dell' antichità. Tutto è poi maneggiato con quella facondia, e con quel dilettevole sale, ch' è tanto proprio di voi.* Hujus operis exemplum extat crebris locis ab auctore inculcatum.

(8) *De historici stadii amoenitate atque utilitate, deque historicorum delectu, Dissertatio Academica habita in Lyceo Oenipontano Prid. Kal. Febr. anno MDCCLXXV. Oeniponte Typis Tratnerianis, in* 4.

(9) Quaere initio voluminis VIII. Actorum, quae prodierunt Vicetiae anno MDCCLXXIX. sumpto ab encyclio doctiorum titulo.

(10) Opus tributum est totum in capita XXIV. bene longa, simplici inscriptione: *La Vita di Girolamo Tartarotti Serbati.* Quam vitam quo exploratius conficeret, epistolarum mille ad Tartarottum a compluribus litteratis viris scriptarum excerptiones digessit, quae et exstant.

(11) Vide pag. XXXVII. Epistolae ad Paulinam Grismundiam, quae praeposita est selectis Tartarotti carminibus Roboreti editis an. 1785.

(12) In volumine V., quod prodiit anno 1785.

(13) Scripto titulus est: *Lettera in difesa delle Rime del Tartarotti dalla critica del Giornalista Vicentino a' XXIV. Agosto del MDCCLXXXV.* Hujus plumbeum pugionem retudit etiam, et quidem publice, Clemens Baronius in Commentariis, qui Roboreti prodibant, rei militaris et litterariae. Vide Num. LXX. datum IV. Non. Sept. eodem anno. Is enim exsequebatur, quae ad litteras pertinerent.

(14) Hoc titulo: *Propugnatio adnotationum criticarum adversus responsa P. Georgii Gaari etc. in Ecclesia Herbipolensi Concionatoris Festivalis. Venetiis, typis Petri Valvasensis an.* MDCCLII. *in* 4. Quid autem haec sibi velint, fusius explicandum putamus. Nam quum anno MDCCXLIX. post editum statim Tartarotti librum de *nocturnis Lamiarum conventibus*, sermo quidam prodiisset, qui ab Georgio Gaaro eodem illo anno habitus esset ad populum Herbipolensem ante rogum Mariae Renatae, quae fuerat veneficii damnata; Tartarottus miserrimi erroris tollendi cupidus, eum sermonem tusce redditum Veronae emisit, subjectis passim quae ad tales fabulas penitus convellendas pertinerent. Haec ut Gaaro venere in manus, latina vicissim reddita insequenti anno vulgavit Virceburgi, appositis responsionibus. Quas quum Tartarottus legisset, ut erat tum forte totus in defensione prioris operis contra Maffejum, submisit Graserium, qui rectam Gaaro monstraret viam. Hunc ejus librum perstringens verius, quam enarrans Franciscus Zaccaria, vir alioqui doctissimus, in septimo *Historiae Litterariae* (pag. 467.), quamvis a Graserio ipso de tota re certior factus, in Delrianas opiniones inclinare studio est visus. Memorialium vero, quae Valvasensis edebat, scriptores quum in ejus libri ἀρχέτυπον incidissent, decepti similitudine chirographi, primo auctorem Tartarottum jactavere; dein, re cognita, debitis Graserium laudibus non fraudarunt. Qua de re videnda est voluminis eorum III. P. II. pag. 28. ad mensem Febr. an. MDCCLIV. et voluminis IV. P. I. pag. 5. ad mensem Julium proximum. Ejusdem operis honestissimam mentionem habent Acta Erudita eodem anno Erlangae edita ad *hebdomadam* XI. fol. 164. At Hippolytus Pindemontius, scriptor cetera accuratissimus, idemque politissimus, in Vita Scipionis Maffei, ubi Italos recensuit, qui de Magis Sagisque circa Tartarotti scripserunt tempora, sive oblivione, sive quod ignoraret, Graserium praetermisit. Vide Vol. XII. p. 142. Italicarum Laudationum quas vir clarus Andreas Rubbius collegit.

(15) Index libello est: *Epistola ad Carolum Antonium Buffam et de versione germanica suae Propugnationis adnotationum criticarum adversus Responsa P. Georgii Gaari. Venetiis* MDCCLVI. *typis Valvasensis, in* 4. Haec autem *Propugnationes* in germanicam linguam conversae, editae sunt Beraithi, atque Hoffae anno MDCCLIV. Quarum epitomes instar invenias Actorum, quae memoravimus, Erlangensium Parte VI. ad mens. Febr. an. MDCCLV. (fol. 46.) praeclara cum Graserii laude: „ uno enim eo libello verissime ostendi, quid de tota veneficarum natione ac de quaestionibus in caput earum habitis sit statuendum. Ad hoc nihil non graviter „, modesteque esse scriptum, magnamque elucere hominis eruditionem, qui non de domesticis modo, verum etiam de germanis auctoribus, velut de Thomasio, de Fabricio, de Carpzovio „ rectissime judicet ".

(16) Haec ad Buffam epistola ita conversa pari modo edita est Bareitbi, atque Hoffae an. MDCCLVIII. Eodemque hoc anno ad mensem Augustum mentio ejus facta in XXXI. Erlangensium Actorum Parte, tali sententia: „ jam non strigas, delirasque anus hic „ in disceptationem vocari, sed an Lutherus a veritate desciverit, an „ Itali Germanis Romanum dogma asperuentibus doctrina praestant, an ea libertas sit in Italia, ut omnibus, quod quisque

„ opinatur, in medium afferre liceat; et id genus alia. Proinda di„ gnum esse opus, quod libris controversiarum inter romanam re„ ligionem professos, alienosque annumeretur ".

(17) Poema inscribitur scilicet: *De praestantia Logicae, Carmen ad Mariam Theresiam Romanorum Imperatricem.* Continetur autem versibus CCCLXII. quos contra Viennensium miniatas cerulas illas mirifice Clementi Baronio probavit; quae epistola data est XVII. Kal. Octobr. ann. MDCCLVI. At Baronii ad Graserium liber exierat Roboreti an. MDCCL. hoc titulo: *Lettera intorno alle cirimonie e complimenti degli Antichi Romani ec.*

(18) Habes titulum, in quo Graserius commentitio nomine usus est ob eam rem, quod et ille Aristarchi simius verum dissimularat, perpetuis sane tenebris obruendum: *Eleutherii Sinceri ad Candidum Philotymum de Aloysii Langellii satyra in novum Epitaphium Hieronymo Tartarotto auctoritate ac judicio regio positum, Epistola.* Langellius cum locutiones objiciebat quasdam tamquam parum latinas, quae in veterum christianorum, qui in ea lingua nati erant inscriptionibus passim leguntur, nonnullae etiam in optimis auctoribus; tum negabat, marito Tartarottum laudari. Ad ea dum Graserius disertissime respondet, ita Langellium defricuit, ut perpetua ipsi apud notos innsserit stigmata.

(19) *Testicolate all' eruditissimo Fra Ciccio per la sua perizia in criticare Epitaffi. Sonetti C. oltre a XII. stanze di prefazione, un Sonetto al Lettore, uno in luogo di Dedicatoria ed uno di approvazione del libro.*

(20) *I. Oratio in Poesim. II. Orazione Italiana in difesa della Poesia a confutazion della precedente.* De hac est Clementis Baronii ad Graserium epistola sane gravdis, et lectu digna in eam sententiam, qui poetarum more scribat. eum necesse habere christianam veritatem in plurimis laedere. Quod non ita esse concedent qui absurdas quasque in speciem fabulas ἀλληγορικῶς interpretantur.

(21) *Della vocazione e professione religiosa d'un figliuolo unico di genitori poveri. Quistione Canonica trattata in tre Lettere* etc. *Lucca* MDCCLX. *in* 4.° re autem vera Roboreti. Hujus libri summarium Erlangenses exhibuere in actis litterariis ad *Hebdomadam XXVII.* anno MDCCLXI, mense Julio, collaudato quidem vehementer auctoris tum proposito, tum candore. Pari modo Johannes Lamius in XXIII Ephemeridia suae volumine ad Num. X. anno MDCCLXII, rem ordina ita exposuit, ut appareat, sibi quoque adolescentis illius devotionem, qua in religiosam familiam receptus fuerat, esse vitiosam atque irritam visam. Et sane eam ille postea jussus est instaurare, nec ante tamen permissus, quam certum parentibus victum prospexisset.

(22) Titulo haud immutato: *Della vocazione e profession religiosa d' un figliuolo unico di genitori poveri. Quistione Canonica trattata in tre Lettere etc. ritoccate ed ampliate con alquante giunte e note* Adscripto quoque editionis loco quasi ex vero: *Lucca* MDCCLX *a spese d'una Società*: annum autem idcirco adscripsit eundem, qui in edito libro esset, ne refricare obductam diu cicatricem videretur.

(23) Hunc respexit pater meus quodam ad eum Epigrammate, quod est in libro Carminum ipsius jocularium, (p. 70) tali initio:

Salute, valoroso Ser Biagiatto,
Base, gioja e onor di noi messeri,
Falange potentissima de' Neri,
Onde i Bianchi ebber già lo scaccomatto.

Biagiattum autem appellavit sodalitio ejus apud Lentos nomine.

(24) *Risposta alla Scrittura de' Confratelli del Santissimo della Città di Roveredo circa lo stare in Presbiterio; ossia difesa d'una Scrittura del Ven. Clero contra i medesimi. Mantova* MDCCLII. *per l'Erede d'Alberto Pazzoni in* 4.° In prima parte voluminis IV. Memorialium, quae Valvasensis vulgavit anno MDCCLIV. collaudatum reperias hunc librum ab eruditionis copia et disserendi vi.

(25) *De Presbyterio, et in eo sedendi jure Disputatio etc. Tridenti, typis J. B. Monauni* MDCCLXXIX. *in* 4.° Totam operis rationem disarte docent Romanae Ephemerides ad mensem aprilem anno MDCCLXXX Num. XV. pag. 119 ubi paullo infra initium ita scriptum est. *Chiama (il Graser) in suo ajuto molta erudizione desunta tanto dalle antichità ebraiche e cristiane, quanto dalle gentilesche, con le quali convince, che sempre a' Ministri Ecclesiastici fu accordato un luogo distinto e separato dagli altri; siccome declina poscia a varie ragioni, autorità e definizioni giuridiche, le quali sono in maggior copia, e che perciò vengono a costituire un' opera più legale che erudita ec.* Quod quidem opus extrema epitoma prudens doctumque appellatur.

(26) Graserium hortatus fuerat Garampius his verbis in epistola Viennae data VIII. Id. Januar. anno MDCCLXXX. *Al mio arrivo in questa Capitale ho trovate le copiose di lei grazie e il percuno documento della sua gentilezza e amicizia verso di me, nella egregia Dissertazione* de Presbyterio, *che le è piaciuto d'inscrivermi. Veduta la materia e il modo con cui è trattata, penso che potrà esser grato al Santo Padre l'avere la di lei opera sotto gli occhi. Se le pare, me ne spedisca altri esemplari. In tal caso mi spedisca anche una lettera per S. S. di cui soggetto può essere la qualità sacra dell'argomento ec.* Epistola Graserii ad Pontificem data est Kalendis Febr. eodem anno.

(27) Maxima memorabilia sunt verba, quae de effuso nostrae civitatis in sese studio Pontifex ipse pro sua incredibili benignitate posuit in eo libro, cui index est: *Acta a Pio VI. causa Itineris Vindobonensis anno* MDCCLXXXII. Sunt autem haec (pag. 24): *In Italiam reduces per Roboretum, ad Venetorum fines positam Urbem, quae cum maximis sua in nos observantia cultuque certabat, Veronam pervenimus etc.* Quod jam aeneum marmoreumve monumentum cum tali conferas laudatione?

(28) Ea res missa est confestim in Acta tum Florentina, tum Veneta, legiturque etiam in Historia Itineris Pii VI., quae edita est Venetiis anno MDCCLXXXII. apud Vincentium Formaleonem (V. pag. 39. etc. alterius edit.) At Adamum Clusolum fugit id ipsum notare in Libro rarum Lagarinarum quo loco Graserium attigit, hoc est C. LI. P. II.

(29) *Difese e ragioni de' Canonici della Collegiata di Arco contra l'Arciprete Santoni, umiliate al Vescovo e Principe di Trento ec. Trento* MDCCLXXXI. *in foglio*. Longum fuerit cetera id genus subscribere, nam nec omnia quis jam facile colliget.

(30) Est idiographus ejus libellus hoc titulo: *Progetto Patriottico di G. B. Bohedasch circa il modo di far crescere uno straordinario profitto alla Boemia con l'uso dell'Albero Acacia. Traduzione dal Tedesco ec. del* MDCCLXVIII.

(31) Breviter de ea re scriptum invenias apud Adamum Chiusolum 10 Libro rerum Lagarinarum C. XLIII. P. II. fusius autem apud Joh. Baptistam Claramontium V. Cl. in vita patris mei a capite XVII. ad XXI. sed tantum facinus separatum quoddam volumen desiderat.

(32) Pulcherrimum Graserii σύνταγμα ipsius manu his continetur commentationibus. *I. Osservazioni sopra l'Interdetto dato dalla Curia Trentina alla Parrocchiole di Roveredo, fatte pubbliche per Notizia della verità l'anno* MDCCLXII. *co' Documenti*. Constat LVII. Capitibus. *II. Appendice alle Osservazioni sopra l'Interdetto, ossia Nuove Osservazioni sopra il Promemoria presentato per parte di Trento nel mese di giugno del* MDCCLXII. Sunt autem omnino XXXV. *III. Breve Apologia circa la disubbidienza falsamente imputata a' Roveretani*. Porro haec omnia etsi in lucem non exierunt, pluribus tamen transcripta exemplis non una in Italiae urbe asservantur.

(33) *Memorie intorno la fondazione del nuovo Monistero dell'Ordine della Visitazione in Rovereto. Ivi presso il Marchesani,* MDCCXLIX. Haec amici rogatu composita ipse postea improbabat.

(34) *Capitoli ed Ordini della Confraternita de' ss. Rocco e Sebastiano di Roveredo ec. riformati ed ampliati. Ivi presso il Marchesani* MDCCLXVII. *in* 4.° Hasce leges ad similitudinem earum direxit, quae maximo Mutinensium Valetudinario moderando tribus libris editae sunt Mutinae anno MDCCLIX.

(35) *Lettere di risposta ad un Libero Muratore*. Exstant apud Jacobum Cobellium optimum sacerdotem.

(36) Titulos fere adscripsimus: *I. Scripta et Teses ex Ethica cum Prolusionibus in annos* MDCCLXIII, MDCCLXIV, MDCCLXV, *et Oratione ad lauream philosophicam dicta anno* MDCCLXIV volumina duo magna. *II. De Etica Litteratorum Prolusio in anno* MDCCLXIX. *III. Acroasis ad Senatum Populumque Academicum ante Privilegiorum anniversariam promulgationem anno* MDCCLXXI. quum summus Lycei esset magister creatus. Quae Oratio apud nos est. *IV. Scripta ad Historiam Universalem et Litterariam*, volumen singulare magnum. *V. Praelectiones ad Theologiam Patrum in an.* MDCCLXXVII. *cum Prolusione*; singulare item magnum volumen. Res autem usque ad Augustini libros perducitur. *VI. De ss. Patrum Eruditionis nexu cum Theologia, Jure Canonico, Morum Doctrina, ac Sacra Eloquentia, Oratio habita* XIII. *Kal. Mart.* eodem anno. *VII. De Annunciatione B. Deiparae Virginis Oratio habita in Congregatione Mariana* VIII. *Kal. Apr. an.* MDCCLXXIX. Exstat apud Cobellium,

cui et privata epistola dedicavit, ut olim discipulo in rhetoricis suo dein liberalissimo hospiti.

(37) Edita passim ejus carmina, sive tusca, sive latina, ut *ᾠδὴν* in funere Conradi Hosmanni, et elegiam in Johannae Gabriellae Josephi Augusti sororis; aliaque enumerare multi et non necessarii laboris fuerit. Paucula modo ex Tuscis iis, quae lucem non aspexere, annotabimus. *I. Volgarizzamento in terza rima dell' Elegia decima del primo Libro di Tibullo. II. Gli Argomenti de' sei Canti del Leggio del Boelò in ottava rima. III. Lettere in versi sdruccioli a diversi. IV. Alcune Ottave all' Imp. M. Teresa, che d' Inspruch tornava a Vienna. V. Canzoni, Sonetti, Capitoli ed altre Rime serie e burlesche.*

(38) Nimirum is est Orationi index: *Prolusio ad Rhetoricam: ad eloquentiam qui aspirat, multum legat.* Habita est an. MDCCXLVIII. in Gymnasio, audiente etiam Hieronymo Tartarotto. Sunt praeterea Orationes aliae duae. *De Litteratorum dignitate ac praestantia*; et *De voluptate, quae ex litteris percipitur.*

(39) *I. Breve notizia dell' origine de' Cappuccini. II. Intorno al Libro sullo stato numerario de' Preti. III. De' Flagellanti.* Extant apud Cobellium.

(40) *Osservazioni sopra il libro, che ha per titolo:* Apologia de' Monaci, *presentate a personaggio d' alto affare il di 28 Aprile del MDCCLXVIII.*

(41) *Notizie circa un supposto Frammento della Storia de' Goti e Longobardi.*

(42) Concinnarat Casperius opusculum hoc titulo: *De secundi Tridentini Abbatis Fragmentis editis et ineditis.* Quod extremis temporibus commotior, ut fama est, mente, una cum chartis suis universis combussit.

(43) Litterae ejus datae VII. Id. Jun. anno MDCCLXXI illustrant Plauti versum: *Decumo post mense, ut rationem te dictare intelligo,* qui est in Sc. II. Act. II. Amphitruonis. Datae autem VIII. Kal. Jul. versum, qui ibidem inferius legitur. *Enimvero praegnanti oportet et malum, et malum dari.* Et rursus litterae datae prid. Id. Mart. eodem anno, et Kalendis, ac prid. Non. Aprilis exponunt locum ex Curculionis Sc. I. Act. II., ubi scriptum est: *Perdura, dum intestina exputrescant tibi. Nunc, etc. etc.*

(44) Litteris datis prid. Kalend. Jun. anno MDCCLXX multa disputat in Sc. III. Act. I. Heautontimorumenu, confirmans et augens ea, quae ipsi in eam scenam conscripseramus quodam Commentariolo, quod honori ejus dicatum exiit Venetiis an. MDCCLXXXI. in vol. x. opusculorum, quae Ant. Melonius V. Cl. colligebat edente Seb. Coletio.

(45) Exstat hujus generis Poematium ad Carolum Buffam, quo popularis quidam de nihilo tumultus, et mimica plane fabella facetissime narratur. Lemma est: *Brachium manicatum Saturni*, quod est oppidulum in prima terra Germania.

DE USU

LINGUAE LATINAE

AD ALEXANDRUM GEORGIUM

EPISTOLA

Quod contra Latinitatis usum epistola optime latine scripta disseruisti, idem mihi visus ea facere, quod ii, qui summa eloquentiae laude eloquentiam ipsam vituperant. Ego vero, quoniam ita jubes, Ferrii nostri librum jam non urgebo; nec tamen ipse Latinitatis caussam his litteris agam, nisi leviter admodum ac perfunctorie. Alios homines poscit haec res, et cum multa doctrina instructos, tum ingeniosos, atque in disputando exercitatos. Me et virium mearum imbecillitas, et rationis tuae acumen deterret, sic, ut non multum interesse arbitrer, tecum, an cum ipso Alambertio sit agendum; nisi quod tu ingenii acie nequaquam ei cedis, Latinae linguae cognitione etiam longe antecellis. Vidi enim paucis ante annis Epistolam ejus quamdam in Romanas Ephemerides relatam, quam ad Antonium Buccium Faventinum Jurisconsultum latine eo consilio scripserat, ut homini ejus sermonis peritissimo hoc quoque nomine placeret. Qua quidem in epistola nullum latinitatis vestigium erat, quaedam etiam insignia peccata. Certe inscripserat, *Vir Excellentissime*, subscripseratque, *Tui studiosissimo etc. Johanni d'Alambert*; et quod turpius est, *gratias referre* dixerat pro *agere*, et *x. Cal. Decemb. anni MDCCLXXII.* pro *anno*. Itaque tunc memini me dicere, si omnes Alambertio essent similes, non utique dubium esse,

quin, ut ipse jactaret, nulla apud nos superesset Latinae orationis proprietas. Quamquam proprietatem secundo loco, primo vero pronunciationem nobis Philosophus opponit, quem tu sequutus, tertium ambitum addidisti.

II. Ad pronunciationem quod attinet, incerta, fateor, atque obscura res est, de qua quum a doctissimis hominibus diligenter (1), nec tamen explorate scriptum sit, plura dicere si velim, merito vanissimus habear. Illud quidem non praetermittam, omnium, qui apud Italos Latini sermonis periti sunt, consensu, harmoniam quamdam in Latinis hac utique potius quam illa compositione exsistere atque exaudiri, quam et ipsi omni cura ac diligentia in scribendo subsequantur. Nec tu profecto, si ex animo loqui voles, diffiteberis, te, sive antiquos sive recentes Latinos legas, certa quadam verborum comprehensione permulceri; quam si dissolvas ac mutes, immo si vocem unam loco moveas, omnem illico harmoniam perire sentias. At enim errore quodam hoc accidit Latinam harmoniam Italae aptantium, siquidem etiam exterae nationes, atqui ipsi *toto orbe divisi* Britanni parem voluptatem e Latinorum lectione percipiunt. Atqui sic existimo, non eamdem hac in re ceterarum gentium et nostram esse rationem, nec illas nobiscum debere comparari. Nam etsi non modo Italica, sed et Gallica et Hispanica lingua e Latina, tamquam ex uberrimo fonte, profluxerint; matri tamen similior, quam Italica, confessione omnium est nulla. Ut igitur nihil liqueat, certe verisimile sequi licet. Quid autem verisimilius, quam nos ad veteres Latinos, ut sermone, sic etiam pronunciatione omnium proxime accedere, ob eamque caussam aures

(1) Videndus in primis Scioppius in Grammatica, etiam Desid. Erasmus in dialogo de Pronunciatione.

nostras Latinae harmoniae maxime esse aptas, neqne decipi item ut externas? Illud quidem pati non possum, ut etiam Angli nobiscum conferantur, quorum lingua quid durius fingi potest; quid asperius, quid magis a Latino et nostro sermone alienum? Praeclarum scilicet correctorem tuum narras Plovvdenium, qui vel *oo-mnipotens* Anglice pronuncians, ex una duas longas faciebat. *Crimine ab uno disce omnes*, ut ille ait. Enimvero non dissimile est quod in musicis accidere videmus. Suis quaeque natio peculiaribus modis delectatur, eosque errore quodam, quem consuetudo confirmavit, optimos putat. Itaque, ut breve faciam, nec Germanicos aut Gallicos nostrae aures probant, nec Germanorum Gallorumque vulgus nostris delectatur. Quid ergo? aequone omnes in errore versantur? omnes, praeter Italos, quorum modi, quamvis apud alienos multitudini non placeant, omnium tamen optimi et sunt revera, et etiam ab externarum gentium peritis existimantur. Sic et in Latina pronunciatione, quum omnes nationes ejus similitudinem sibi vindicent, ipsa tamen ratione cogimur ut credamus, quaecumque ejus rei reliquiae sint, apud illos certe potissimum esse oportere, qui et easdem, quas Latini, sedes incolant, et sermone utantur eo, quo nullus Latino similior. Equidem sine dubitatione contenderim, hominem Anglum (dicam enim exempli caussa quod etiam de aliis gentibus intelligi possit) si Italice loqui ac more nostro Latina pronunciare idonea aetate condiscat, patriam illam pronunciationem, ut absurdam ac barbaram, omnino repudiaturum. Verumtamen ii nos non sumus, qui scripta Latino sono recitare postulemus; tantum aequum putamus, ut ab eo minime aberrare existimemur. Itaque bene factum, quod neque tu, neque ipse Alambertius tantum germanae pronunciationi tribuatis, ut nullam sine ea latinitatem esse

posse judicetis. Ita etiam Paullo Manutio videbatur, quem tu merito maximi facis, qui recte ajebat (1), ne in iis quidem ipsis, qui, Latina lingua vigente, Romae atque in Italia vivebant, eamdem pronunciandi rationem fuisse; quod hodieque in nostris fieri videmus, ut alium Tridenti, alium Veronae, alium alibi, planeque diversum sonum audiamus. Qua re affirmabat, se de pronunciatione minimum laborare.

III. De quo igitur laborandum est, quid spectandum Latine his temporibus scribenti? id ipsum scilicet, ut Latine, hoc est, pure scribat. Rem totam Cicero ipse definit quum ait (2): *Videndum esse, ut et verba efferamus ea, quae nemo jure reprehendat; et ea sic casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit.* Quod enim de verbis iis efferendis ait, quae nemo jure reprehendat, id duobus modis intelligendum est, ut nec barbaris vocibus utamur, aut latinas corrumpamus, in quo est Barbarismus; et ad declarandum quod volumus maxime idoneas seligamus, quod nisi facimus, contra proprietatem peccamus. Quod autem monet de conservandis casibus ac temporibus, ad Soloecismum referri debet. Ita si tria haec vitia vitarimus, Soloecismum, Barbarismum, Improprium, Latine scribemus (3). Ac duo quidem priora qua ratione effugiamus, vel a prima aetate in arte grammatica discimus. In tertium vero, si vobis credimus, fere semper incurrimus. Etenim, inquis, et λεξικὰ desunt ab iis lucubrata qui auctores esse possint, et Magistri qui linguam cum lacte suxerint. Ergo mihi probatur,

(1) Vide ejus Praefationem ad Commentaria in Epistolas M. Tullii Ciceronis ad M. Brutum.

(2) Libro III. de Oratore c. XI.

(3) Videndus Auctor Rhetoricorum ad C. Herennium Lib. IV. sub initium.

multo difficillimam ac laboris plenissimam esse proprietatis comparationem; non tamen ita a nobis remotam, ut nulla ratione ad eam pervenire possimus. Λεξικὰ non habemus ab ipsis Latinis confecta; at habemus antiquorum Grammaticorum tot reliquias, ut si omnes in unum conferantur, magni cujusdam λεξικοῦ instar esse possint. Mitto Varrones, Festos, Marcellinos, Carisios, Victorinos, Scauros, Priscianos, aliosque complures, quorum qui supersunt libri, magno usui sunt; quam multa de vocabulorum vi et proprietate apud Gellium disputantur, quam multa apud Macrobium! Totus est in hoc genere et Servius, totus Donatus, totus Asconius veteresque Interpretes. Quaedam etiam in aliarum rerum scriptoribus, et praesertim in Tullio et Quintiliano huc pertinentia passim reperiuntur, sic, ut illa ipsa, quae ab aliis quoque scripta infeliciter perierunt, rursus aliorum opera nobis demonstrentur. Quid porro dicam, quanto studio, quanta diligentia, quantis laboribus hos ipsos veterum Grammaticorum libros doctissimi cujusque gentis homines postremis hisce aetatibus illustrarint? Plenae sunt litteratorum domus, plenae Bibliothecae eruditissimis ejusmodi Commentariis. Quo in genere neque Ausonii liber de differentiis verborum et de antiqua constructione est contemnendus, et novum Forcellinii λεξικόν judicio omnium excellit (1). Quae quidem cogitanti mihi, in mentem venit dubitare, an in hac ipsa, qua utimur, lingua tot adjumenta a Grammaticis ad assequendam verborum proprietatem habeamus. Profecto enim non aeque multi exstitarunt, qui vel de Italica lingua scriberent, vel veteres ejus Auctores enarrarent. Quid, quod

(1) Videndae Florentinae Ephemerides, quae anno MDCCLXXIV. prodierunt, Num. XLVIII.

adhuc ejusmodi λεξικόν desideramus, quod in suo genere hujus Forcelliniani, de quo dicebam, ubertatem atque absolutionem aemuletur? Haec autem non ideo a me dicuntur, quod existimem, facilius esse nobis Latinam quam Italicam proprietatem in scribendo consequi; sed quia duo probare mihi videntur, primum, varias verborum significationes et differentias in iis linguis, quae vigeant, atque adeo vel in nativa quaeri oportere nihilominus, quam in iis quae extinctae dicantur, quod eo fit, quia in unaquaque lingua idem vocabulum, quod fere simplici intellectu vulgo usurpatur, in alios atque alios sensus ab Auctoribus transfertur; deinde tanta nobis in Latino sermone tum ab antiquis, tum a recentibus Grammaticis parata esse subsidia, ut quae sit cujusque vocis potestas, qui usus, saepe etiam quae origo, si diligentius attendere voluerimus, ignorare non possimus. Quid multa? tantum a proprietatis ignoratione profecto absumus, ut etiam ad supervacuam subtilitatem progrediamur; quasdam enim vocabulorum differentias e Grammaticis novimus, quas consuetudo elegans Latini sermonis aut raro servat, aut etiam plane confundit. Ex quo quidem intelligitur, eum, qui latine velit scribere, non modo quae Grammaticis tradant, qui sunt saepe religiosiores atque acutiores, quam sat est, verum etiam quibus, et quomodo eruditi utantur, cognoscere oportere.

IV. Hic vero (non enim de pronunciatione nunc agitur) quid tantum adjumenti afferent hi Magistri, qui Latinam linguam cum lacte suxissent, quos tu inculcas, ut quum illis careamus, haud paullum de profectu nobis detrahi existimemus? Quid enim agunt isti ipsi Magistri, quibus in Italica, aut Gallica lingua utimur? nonne simul ac grammaticis quibusdam praeceptis nos imbuerunt, quibus instructi nostra ipsi sponte ulterius procedere, et, ut in

proverbio est, nare sine cortice possimus, ad veterum auctorum, eorumque interpretum et grammaticorum libros remittunt? quis enim eorum sit tam impudens, qui linguae, cujus elementa tradat, proprietatem se melius nosse, quam illos ipsos, qui ejus parentum nomen obtineant, profiteatur? Itaque nobis non sua jam ingerunt, sed auctorem aliquem praecellentem evolvendum praescribunt, tum ita, ut quisque erit ei auctori simillimus. Idem plane in Latinis magistris eveniret. Explicatis enim latinitatis principiis, his scilicet, quae etiam a nostris praeceptoribus accuratissime traduntur, quod ad sermonis usum et proprietatem attinet, siquidem saperent, veterum scriptorum optimos nobis in manus darent, nosque in eorum orationem diligenter atque assidue intueri juberent; fateri quippe cogerentur, hos demum veros ac perennes esse fontes, unde omnis scribendi elegantia derivatur. Quid? an ignoramus, id apud ipsos Latinos, etiam aurea atque argentea aetate, in more fuisse positum, ut qui patrii sermonis proprietati studerent, in antiquorum auctorum lectione diu noctuque versarentur? *Omnis*, inquit Tullius (1) *loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poetis. Sunt autem illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare loquuti: quorum sermoni assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine.* Et sane quum Romam, ut idem Tullius narrat in Bruto (2), multi inquinate loquentes ex diversis locis confluxissent, usque adeo corruptus erat vulgi sermo, ut nemo bene latine loqueretur, nisi qui aut domestica quadam consuetudine puro

(1) Lib. III. de Oratore C. x.
(2) C. LXXIV.

sermone assuefactus esset, aut in veteribus scriptis studiose et multum volutatus. Itaque intelligere licet ex eo ipso libro, cujus ego lectione numquam expleri possum, Latini sermonis laude paucos oratores ob negligentiam praestitisse (1): in iis autem, qui praestiterint, earum rerum, quas dixi, alterutram certe fuisse (2). Hinc narrans Cicero (3) Cajum Scribonium Curionem in primis oratoribus esse habitum, *quia splendidioribus fortasse verbis utebatur : et quia latine non pessime loquebatur*, adjungit : *usu, credo, aliquo domestico, nam litterarum admodum nihil sciebat;* idque paullo post (4) etiam planius explicat hoc modo : *Similiter igitur suspicor, Curionis patrio fuisse instituto, puro sermone assuefactam domum; et eo magis hoc judico, quod neminem ex iis quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi, in omni genere honestarum artium tam indoctum, tam rudem. Nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem etc.* Dubium tamen non est, quin plus multo ad bene dicendum beneque scribendum valuerint ratio et litterae, atque optimorum scriptorum evolutio, (quae omnia nobis cum Latinis sunt communia), quam vel optima domestica consuetudo. Caesar omnium fere oratorum Latine loquebatur elegantissime. Num ergo id solum hac consuetudine? Non; *sed* (ut ait ex Attici persona Tullius (5)) *quamquam id quoque credo fuisse, tamen ut esset perfecta illa bene loquendi laus, multis litteris, et iis quidem reconditis et exquisitis, summoque studio et diligentia est consequutus.* Verum Caesarem mitto, qui etsi non est, nisi multis litteris, elegantiae perfectionem assequutus, ejus tamen solum, et quasi fundamentum usum domesticum habuit; alios oratores cognovimus, et plerosque quidem, nullo patrio

(1) C. xxxv. (2) C. xxxvii. (3) C. xviii.
(4) C. lix. (5) C. lxxii.

instituto, studio tantum et diligentia ad Latine loquendi laudem pervenisse. Itaque recte concludere possumus, lectionem et studium etiam sine domestica consuetudine, quae apud nos esse non potest, satis adjumentorum ad Latinam proprietatem consequendam suppeditare.

V. Caelestis quidem vir M. Fabius Quintilianus quum quorumdam aetatis suae vitium nosset, qui circulatoriae in dicendo volubilitatis studiosi, collecta, ut ipse ait, quae idem significarent vocabula ediscebant, ex quibus sine discrimine proximum quodque occuparent; quumque id ut puerile, et cujusdam infelicis operae non solum improbaret, sed etiam tollere cuperet; toto eo capite, quod est primum libri decimi, nihil aliud egit, ut tu optime nosti, nisi lectionis ad verborum praesertim delectum utilitatem explicavit, ejusdemque rationem, suaque de auctoribus judicia patefecit. Quo in capite notatu haec digna sunt maxime: *Nobis autem copia cum judicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam volubilitatem spectantibus. Id autem consequemur optima legendo atque audiendo .... omnia verba .... sunt alicubi optima .... Haec ut sciamus, atque eorum non significationem modo, sed formas etiam mensurasque norimus, ut, ubicumque erunt posita, conveniant, nisi multa lectione atque auditione assequi non possumus ..... Sunt autem alia hujus naturae, ut idem pluribus vocibus declarent, ita ut nihil significationis, quo potius utaris, intersit: ut* ENSIS *et* GLADIUS. *Alia, quae etiam si propria rerum aliquarum sint nomina,* τροπικῶς *tamen ad eumdem intellectum feruntur, ut* FERRUM *et* MUCRO. *Nam per abusionem* SICARIOS *etiam omnes vocamus, qui caedem telo quocumque commiserint. Alia circuitu verborum plurium ostendimus ... Plurima vero mutatione figuramus,* SCIO, NON IGNORO *et* NON ME FUGIT .... *sed etiam ex proximo mutuari*

licet. Nam et INTELLIGO *et* SENTIO *et* VIDEO, *saepe idem valent quod scio. Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio, ut his non solum quomodo occurrerint, sed etiam quomodo oporteat, utamur.* At enim Quintilianus cum lectione auditionem oratorum conjungit, qua nos caremus. Ergo, quod vel centies repetam, plus nobis est operis et auditionis damnum, duplicato lectionis labore, compensandum. Attamen lectionem et solam aliquando ponit, ut postremo loco: *Quorum nobis ubertatem ac divitias dabit lectio*, et numquam non ante auditionem, ut illi se primas deferre satis ostendat. Etsi quid istis opus est? Nonne idem ipse ita postea profitetur? *In lectione certius judicium: quod audienti frequenter aut suus cuique favor, aut ille faventium clamor extorquet... lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit: sed repetere saepius licet, sive dubites, sive memoriae penitus affigere velis. Repetamus autem et tractemus et, ut cibos mansos ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur; ita lectio non cruda, sed multa iteratione mollita et velut confecta, memoriae imitationique tradatur.* Quibus ita confirmatis, nemo, opinor, allatum illum Ciceronis e tertio de Oratore locum in nos retorquere audebit, quod ibi eorum scriptorum lectio commendetur, quorum vel nullae, vel prope nullae supersint reliquiae. Quid enim? priscos illos Latinitatis auctores non habemus, licet e XII. Tabulis, e Columna Rostrata Caji Duilii, ex Naevii, Ennii, Accii aliorumque fragmentis, tum ex Plauti Fabulis, qui fuerit illarum aetatum sermo, cognoscere possimus. Sed tamen, ut dicebam, priscis illis auctoribus caremus, quos praeclare loquutos testatur Cicero. At contra habemus alios bene multos et philosophos et poetas, et oratores, et historicos, qui non modo aeque, atque illi, bene scripserunt, verum etiam, siquid erat in illis paullo durius et

rusticius, mollierunt expolieruntve, atque adeo patriam linguam locupletarunt planeque ad perfectionem adduxerunt. Hi demum igitur sunt magistri, quos quotidie audimus, quos assidue consulimus, in quos diligenter inspicimus, qui nec latum unguem a nobis discedunt. Quod ne innumeris quidem vetustis romanis contigit, id nobis largitur sors, ut cum eodem illo Cicerone familiarissime versemur, qui omnes ante et post se scriptores cum linguae Latinae subtilitate, tum eloquentia superavit; cujus libros si Marcus Antonius Triumviri avus, ut de aliis antiquioribus taceam, legere potuisset, nae ille multo diligentius Latine loquutus esset. Quintilianum superius laudavi, nec vero persuadere mihi possum, quemquam, qui divinum ejus opus studiose considerarit, non sic existimaturum, tanta hunc cura, tanto acumine tantaque diligentia circa minimas quasque non oratorii modo artificii, verum etiam lectionis scriptionisve partes morari, eaque omnia ita enucleare, ut non multo plus discenti viva latini magistri vox profutura esse videatur. Si igitur, ut ipse nos Cicero docet, omnis sermonis elegantia, quae ex verborum delectu maxime nascitur (delectum autem sine accurata proprietatis cognitione habere nemo potest) si, inquam, omnis sermonis elegantia legendis potissimum optimis scriptoribus comparatur, etsi, ut idem ait, *horum sermoni assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui, nisi Latine;* erit etiam qui putet, nos, quum et longissime absimus ab eo periculo, ne prava male Latine loquentis vulgi consuetudine corrumpamur, et eos auctores diu noctuque versemus, qui in suo quisque genere cum ingenii et doctrinae, tum purae Latinitatis laudem adepti sunt; et id studiosissime agamus, ut horum sermonem, cujus elegantias utique penitus intelligimus, nam et in ipsis auctoribus aestimandis cum veterum

judicio consentimus, graphice imitemur; adeo tamen propositum non assequi, ut etiam pleraque omnia improprie barbareque efferamus?

VI. At enim parum refert, hanc proprietatem in nostris litteris reperiri, nisi adsit etiam ille ambitus, quem Latina lingua, ut quaevis alia, peculiarem habet: recte hoc quidem. Nos autem externos homines Latine scribentes injuria reprehendimus, quum et ipsi idem peccemus, Italum ambitum atque Italam cogitandi rationem in Latinam linguam inducendo; hoc vero non item. Quid? usque adeone hebetes ac caeci sumus, ut vetera Latina scripta cum recentibus conferentes, quaenam ipso ambitu propius ad illa accedant, dispicere nequeamus? Legatur enim pallisper Germanus aliquis, qui Latine scripserit, mox Italus, deinde Latinus; tum fiat judicium. Equidem nullus dubito, quin Germanum, vel Aristarcho judice, superaturus sit Italus. Cujus rei ratio ex iis repetenda est, quae de Latinae linguae cum Italica affinitate superius dicta sunt; quae quidem affinitas multo etiam plus ad ambitus, quam ad pronunciationis similitudinem sine dubio valet. Quis ignorat, quanta Graecae Latinaeque linguae sit cognatio? Tanta profecto, ut Macrobius dicat, qui utramvis didicerit paene ambas nosse. Atqui manifeste perspicuum est, multo arctiorem cum Latina esse Italae, quippe quae non modo ab ea originem duxerit, verum etiam, ut quidam docti viri ostenderunt (1), in vulgus invaluerit jam ab illo tempore quum in doctiorum ore latina adhuc esset. Itaque recte Manutius

(1) Leonardus Brunus, Petrus Bembus et Strotius saeculo XVI.; nostro autem Scipio Maffejus, cui tamen non omnia concedit Tiraboschius in Praefatione ad Vol. III. Historiae Litterariae. Lud. Muratorius in libro *De perfecta Poesi* ea dicit, quae cum Tiraboschii opinione consentiunt.

noster in Prooemio ad commentaria in Epistolas ad M. Junium Brutum et ad Q. fratrem: *Statuo sic, atque concludo, accessionem Italicae linguae fieri majorem non posse, quam si cum Latina conjungatur: non modo quia nulla plenior, aut ornatior, verum etiam quia nulla similior: ex quo sequitur, ut ad coeundam cum ea societatem nulla commodior.* Quae quum ita sint, nec immerito externos homines posthabemus, qui a Latino ingenio natura sua longe absunt, et nos id ipsum, si bonos auctores sine intermissione legamus ac stilum exerceamus, haud dubie assequimur, quia haec diligentia, quae alioqui per se multum valet, simillima nativi sermonis vi simillimoque ambitu mire adjuvatur: qua rerum conjunctione nihil potest esse efficacius. Tamen advertas, velim, *simillimum* ambitum a me dici, non *eumdem*; profecto enim siquid legimus ita Latine scriptum, ut ex Italico ad verbum translatum esse videatur, irridemus atque abjicimus. Quod ipsum argumento est, nos minime falli, sed id potius ex auctorum lectione consequi, ut probe intelligamus, quantum Itali sermonis similitudini in latina scriptione sit tribuendum. Haec si tu non agnoscis, tua venia dixerim, vel externis hominibus iniquiorem te tuis praebes. Hi enim ipsi non adeo suae gloriae studio obcaecantur, ut hanc lucem aut non videant, aut videre nolint, atque etiam ultro Latini sermonis facultatem nobis non concedant. Decimo sexto quidem saeculo, qui bene Latine scripserint, eos omnes in Italia aut natos esse constat, aut certe veram antiquorum imitationem didicisse. Etsi id ipsum externis contigit admodum paucis, in quibus, ut de Longolio taceam, Muretus ille Gallus, quum maximam vitae partem inter Italos transegisset, ad eam elegantiam pervenit, ut in prosa oratione praeter Paullum Manutium, quem ipsum tamen provocare videtur, parem

habuerit, mea sententia, neminem. Ergo is, optimus sane aestimator, non alia profecto re, quam veritate victus, in prooemio ad Scholia in Terentii fabulas aperte profitetur, *semper propriam Italorum laudem fuisse, ut soli ex omnibus Latina oratione perite ac scienter uterentur* (1).

VII. Nam quod scribis, videre te, hunc ipsum, de quo dixi, ambitum, hoc est, ut tu commode interpretaris, hanc enunciandarum cogitationum vim et complexionem non esse in Paullo Manutio eamdem, quam in Tullio; quid id efficiat non intelligo. Potuit enim Manutius Tullianum ambitum imitari, quod profecto egregie fecit; in ipsum Tullii ingenium immigrare, certe non potuit. Quintilianus, cujus ego judicio nihil existimo acrius fieri posse, quo loco de imitatione agit (2), dicere non dubitat, *plerumque facilius esse plus facere, quam idem; tantam enim,* inquit, *difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit, ut non res, quae simillimae videantur, discrimine aliquo discernantur.* Quare etiam hac adhortatione concludit: *ideoque quum totum exprimere, quem elegeris, paene sit homini inconcessum: plurium bona ponamus ante oculos, ut aliud ex alio haereat, et quo quidque loco*

(1) Idem Muretus in Oratione, quae est vigesima voluminis secundi, totam hanc quaestionem breviter attingit, ac veram Latini sermonis apud nos facultatem his verbis tuetur: *Ajunt, Graecam Latinamque linguam jampridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere et vigere contendo, sed, si in translatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt ..... Nunc ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt, et certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis jam saeculis fixae atque immutabiles permanent .... Si in vulgi potestate mansissent, hodie Ciceronem non intelligeremus.*

(2) L. x. C. ii.

conveniat, aptemus. In Manutio igitur ambitus est non omnino Tullianus, esto : num idcirco non Latinus? id enim quaeritur, et differunt haec inter se vel maxime, aliudque est Latine scribere, aliud etiam Tulliane. Quod si de cujusque oratione judicium facere volemus, prout ambitum Tulliano parem aut secus habeat, quotus quisque vel ex antiquis auctoribus, sententia nostra, Latinus dicetur? Nemo scilicet, praeter ipsum unum Ciceronem. Quid ergo? an non est certus ambitus, qui Latinae linguae sit proprius, qualem modo dicebamus? Immo est communis quidam, qui in omnium scriptorum oratione quodammodo serpit et subest, cui tamen innumera complexionis genera subjecta sunt; ita prorsus, ut quum in universis auctoribus idem ingenium, nempe latinum, deprehendatur, sua tamen cuique peculiaris sit ratio suusque in cogitationum enunciatione ambitus. Res est ejusmodi, ut non perinde explicari possit atque intelligitur; nam etiam in iis, qui Italice scribunt, idem videmus. Quare ut propositi sibi scriptoris ambitum ita exprimere quis posset, ut nusquam aberraret; oporteret profecto, aut eadem ingenii vi eademque natura esse et iisdem a puero rebus studuisse, aut certe alicujus Dei ope in illum subito mutari. Quis enim ignorat indoles, studia, mores ipsi quantum in quoque ad cogitandi rationem afferant, unde postea peculiaris iste ambitus gignitur? Itaque verum est Graecorum proverbium, quod commemorat Fabius, ut vivat, quemque etiam dicere. Hinc accepimus a Cicerone in Bruto (1), *Cajum Tuditanum cum omni vita atque victu excultum atque expolitum, tum ejus elegans esse habitum orationis genus;* contra vero *alterum Cajum Fannium M. F. C. Laelii generum et moribus et*

(1) C. xxv.

ipso genere dicendi duriorem (1). Pari modo *Q. Aelium Tuberonem stoicum, ut vita, sic oratione durum, incultum, horridum* (2), Sextium autem Calvinum *ingenio et sermone eleganti fuisse* (3). Et haec est nimirum, ut arbitror, haud postrema ratio, cur etiam in iis auctoribus, qui ad nos pervenerunt, ea sit, non dico elocutionis, quamquam hujus quoque, quae tamen materiae etiam servit, sed plane ambitus dissimilitudo, ut studiosi lectoris oculos effugere nullo modo queat. Certe nec in Marci Coelii aut Decimi Bruti aliorumve epistolis eamdem esse complexionem video, quam in Tullii, adeo, ut eas recitari audiens non praelectis nominibus, dicam: haec Tullii est, haec non est; et omnes mihi, opinor, concedent, alio quodam ambitu cogitata sua efferre Sallustium, alio Caesarem, alio Livium, alio Vellejum, alio Suetonium. Quis Ciceronis studiosior Quintiliano? eodem quis dissimilior? At nemo propterea dixerit, minus Latinam esse talium auctorum orationem. Quod ergo scribis, non eumdem in Manutio esse ambitum, quem in Tullio animadvertas (quo demum exemplo, tamquam ratione aliqua niteris) id non modo non probat, latinam istam, de qua satis jam dictum arbitror, enunciandarum cogitationum rationem a nostra, hoc est, ab Italorum facultate generatim abesse; sed ne de ipsis quidem Manutii laude quidquam detrahit, quum ejus sermo utique latinus et elegans esse possit, ut est, etiamsi non sit plane ciceronianus. Quamquam dicere non vereor, si quis umquam fuit, qui ad Tullii formam atque ingenium proxime accederet, eum certe Manutium fuisse; et si veteres scriptores cum recentibus essent conferendi, cique danda palma, qui toto orationis genere Tullio videretur simillimus, hunc

(1) C. XXVI. (2) C. XXXI. (3) C. XXXIV.

ipsis veteribus victoriam praerepturum. Quum autem hic veteres dico, eos intelligi volo, qui aurea atque argentea actate scripserunt, ex quibus, qui ad Ciceronem propius accedat, quam noster Manutius, video esse neminem. Quod si ad inferiores auctores descendamus, ita paullatim immutari sermonem cernimus, ut postremo vix cognoscamus, eumdem esse. Quanto ergo his omnibus praestet Manutius, necesse est, qui etiam cum antiquioribus comparatus, Tullianum ambitum, quo nullus melior, unus maxime refert?

VIII. Etsi, quid in isto diutius moror? numquid enim hic solus videtur inferiorum aetatum Scriptoribus praeponendus? immo alii permulti cum superioris, tum nostrae actatis hunc honorem suo jure sibi vindicant. Et sane, quis est non omnino horum studiorum imperitus, qui, nisi malignus esse velit, non libenter fateri debeat, multo magis puram et castigatam sibi videri Sigonii et Mureti orationem, quam Gellii atque Macrobii? qui non intelligat, Apulejum et Arnobium, nitore atque elegantia a Maffejo et Tursellino superari? qui non Bembos, Victorios, Sadoletos, Palearios, Alcionios et nostra aetate Bonamicos, Zanottos, Facciolatos Martianis, Ausoniis, Mamertinis, Cassiodoris, Apollinaribus praeferat? Quod si ita est, est autem plane; qui tandem negari potest, Romanae linguae ingenium atque ambitum assequi nobis licere, quum illos ipsos, qui ea inclinata quidem, at nondum extincta, scripserunt, manifestissime vincamus? Verum initio promisi, me totam hanc caussam leviori brachio acturum: quare a proposito non discedam. Nam, quod de Terentii imitatione scribis, ego vero nullum invenio hic nodum, atque adeo longa oratione non est opus. Est enim in primis tersus ille quidem atque elegans, vel Ciceronis judicio; sed tamen quum sermone utatur eo, in quo multa antique dicta sunt,

multa humiliter, multa scenice, multa ad metrum accommodate, is sane non est, unde qui graviter atque ornate velit scribere, plurima possit mutuari. Etsi non modo splendidae atque exaggeratae orationi hunc minime aptum esse dixerim, sed ne epistolis quidem severioribus aut sermonibus eruditis, quorum subtilem et aequabilem stilum non aliunde, quam e Tullio discemus. Porro multo pauciora suppeditabit nobis Plautus, cujus latinum quidem, sed obsoletum, plebejum ac perridiculum dicendi genus, nescio hercle, ubi locum extra scenam habere possit. Non negaverim tamen, esse in utroque quae excerpas, atque in unum seponas. Illud quidem certe horum lectio habet utilitatis, quod penitiorem latinae linguae notitiam nobis affert, ut tamquam si in medio prisci illius populi arrectis auribus versemur, sic omnem ejus sermonem, atque adeo vel idiotismos incredibili voluptate cognoscamus. Sed antequam manum de tabula, nolo equidem praetermittere, quin duas res attingam, quae praeter ea, quae abs te disputata sunt, a plerisque adversariis objiciuntur. Ajunt enim, primum non reperiri apud Latinos multarum rerum vocabula, quae res superioribus demum, aut nostris temporibus inventae sunt; deinde tanta morum mutatione facta, quaedam nomina quibusdam rebus a nobis accommodari, quae ab iis differant, quibus ea nomina posuerunt Latini. Ad primum quod attinet, quid caussae est, quin vel quod uno Italice, idem Latine pluribus verbis interdum exponamus (1), vel etiam, si id commode non possumus, ad eam licentiam confugiamus, qua tantopere delectabatur M. Tullius, quam nobis largitus est Horatius?

(1) Videndus hac de re Tullius libro III. de Finibus C. I. et libro I. C. XVII. *De Natura Deorum.*

. . . . *licuit, semperque licebit*
Signatum praesente nota producere nomen.

Quid enim? An Marcus Flaminius in re tam levi, quam illud est carmen ad Guidum Posthumum (1), hac usus est venia, ut vocem *floricomum* fingeret, quum opus nihil esset ac totam sententiam aliter afferre posset; iis, qui in scientiarum atque artium tractatione versantur, quorum oratio pressa esse debet ac proprie declarans ea, de quibus agitur, nova novis rebus nomina imponere non licebit? Vidit hoc vir clarissimus Franciscus Zanottus; itaque quum Bononiensis Academiae Commentaria scriberet, istam vocabulorum novitatem, in qua quidem aut Latinam aut Graecam analogiam sequi et debemus et possumus, recipere non dubitavit. Quod an salva Latinitate fecerit, cuilibet judicandi copia est. Ego quidem numquam libros illos in manum sumo, quin Cajum Plinium molliter accusem, ut durinsculum ac paullo fere tumidiorem. Ita scilicet res simillimae multo mihi a Zanotto videntur esse lucidius venustiusque tractatae.

IX. Sed venio ad id, quod secundo loco de quorumdam vocabulorum usu objicitur. Exempli caussa, *Deus*, inquiunt, a nobis non recte dicitur, quia Romani alias quasdam notiones huic vocabulo subjiciebant ab nostra religione omnino abhorrentes. Pari modo voce *sacrificio* improprie abutimur, quum id apud Latinos dissimillimis caerimoniis contineretur. Ridicule etiam dicimus *auctores evolvere* pro *legere*, quam dictionem Romani ducebant a suis illis voluminibus, quae legere non poterant, nisi evolvissent; ex quo

(1) Hoc Carmen est in libro II. num. XXXIII. Edit. Cominianae. Videnda autem ejusdem Flaminii epistola ad Basilium Zanchium, quae est prima sex Italicarum selectarum ejusdem voluminis, ubi rationem de hac re suam Zanchio erudite probat.

intelligitur, ne vocem quidem *volumen* hoc sensu ad nostrsm consuetudinem convenire. Quid, quod nemo dubitat scribere, sc *mensae accubuisse*, illum factum esse *Consulem*, *Aedilem*, *Senatorem*, *Decurionem*, *Praesidem*, quum hac aetate nulla harum rerum iis notionibus perfecte respondeat, quas talibus vocibus Latini subjecere? O callidos homines! o subtiles cogitationes! quas quidem si audierimus, eo fastidii, vel potius insaniae progrediemur, ut nec *domum*, nec *triclinium*, nec *lectum*, immo, si diis placet, nec *panem* aut *vinum* in recentium auctorum scriptis ferre possimus. Atqui garriant licet quod lubet, eaedem fere significationum quasi vicissitudines in Romanum sermonem adhuc vigentem incurrerunt, ac saepissime Latini, rebus ipsis vel opinione dissimilibus, ut in philosophia, vel consuetudine immutatis, ut in vita communi et in republica, nihilominus eadem vocabula retinuerunt. In philosophia, exempli gratia, aliter sentiebant de divina natura Peripatetici, aliter Stoici, aliter Academici, aliter Epicurei; tamen hanc omnes eodem nomine notabant. Quid de voluptate, de virtutibus, de summo bono? eadem erant vocabula, non eae notiones. Quamquam quod ad Deum, animique virtutes attinet, atque ad alia quaedam ad Religionem pertinentia, miror, adversarios nostros non advertere, talium rerum vocabula eodem plane sensu a nobis poni, quo sunt a Lactantio, a Severo, a Hieronymo ceterisque ejusmodi adhibita, qui profecto, ubi veteres nihil suppeditant, auctoritate non carent. Sed haec missa faciamus, *liber* ea, qua passim usurpatur, notione unde, quaeso, dictus est? nonne quia primo in quarumdam arborum libris scriptitatum est? At postea obtinuit usus, ut quamvis mutata re priscum tamen maneret nomen, *liber*que vocaretur, qui ex pluribus cujusque generis chartis esset concinnatus.

Priscis Romanorum temporibus ii tantum proprie *humari* dicebantur, qui mortui humo injecta conderentur: invaluit deinde cremandi consuetudo; num idcirco pristinum verbum obsolevit? minime. Itaque etiam in secundo de legibus ait Cicero: *et quod nunc communiter in omnibus sepultis, ut humati dicantur, id erat proprium tum in iis, quos humus injecta contegerat. Immolare* quod aliud sacrificii genus declarabat, nisi quod fiebat inspersa mola? Sed profecto illi Gallorum druides, quum deorum immortalium templa humanis hostiis scelerata religione funestarent, molam salsam non adhibebant. Tamen in hac re eo verbo usus est cum Caesar in libro sexto de Bello Gallico (1), tum Cicero in Oratione pro Marco Fontejo (2). Nemo nescit, quanta fuerit in Romana republica dictatoria potestas. At Marcus Cato, ut est apud Gellium Noctium Atticarum libro decimo (3), Asdrubalem Carthaginiensium *dictatorem* appellavit, quasi eadem esset Carthagini hujus magistratus amplitudo. Sed illud etiam magis notatu dignum, quod quem Cato *dictatorem*, eumdem Justinus libro vigesimo secundo *consulem* vocat. Scilicet haec nihil inter se differebant. *Decurio* in legione romana nonne erat is, qui decem equitibus praeerat? Turma autem, quae erat xxx. aut xxxiii. equitum, nonne tres decuriones principio habebat? quid postea? mutata res est, nomen remansit. Quod quidem nomen etiam ad alia officia deinde translatum est. *Uxores* Latini suas ab *ungendis postibus* appellabant. Non ergo Germanorum, Afrorum Graecorumve conjuges eodem nomine notare debuissent, siquidem haud iisdem ritibus ad viros deducebantur; quod contra id saepissime in auctoribus occurrit, et apud Livium clara nomina sunt *uxor*

(1) C. xvi. (2) C. x. (3) C. xxiv.

Nabidis, et *uxor* Ortiagontis. Quid dicam de voce *bello*? alia profecto erat apud Romanos praeliandi ratio atque armatura, alia apud Hispanos, alia apud Gallos, atque omnino apud barbaros. Tamen tam varia pugnandi genera uno eodemque vocabulo designabantur. Nam quod superius dixi de *accumbendi* verbo, facit ad rem Virgilii versus, qui est in primo Aeneidos.

. . . . *tu das epulis accumbere Divum;*

ubi Servius: *Sane epulis* accumbere, *secundum temporis consuetudinem dixit; nam olim sedentes vescebantur, sicut ipse meminit*: Gramineoque viros locat ipse sedili, *et*: Perpetuis soliti patres considere mensis: *et apud Homerum sedentes Dii epulantur.* Verum fieri potest, ut Poeta *accumbere* hic dixerit pro *sedere*, atque hoc sensu verbum illud accipi voluerit. Omnino et ipse Homeri sectator erat, nec satis deorum majestati convenire accubitus videtur. Utcumque est, quando priscorum Latinorum consuetudinem scimus, qui eodem, quo nos, statu epulabantur (1), atque idonea ejus rei vocabula accepimus, *sedere* et *considere mensae*, rectius multo erit his uti, quam illis, quae accubationem proprie declarant.

X. Interea, opinor, videmus, ne ob hanc quidem caussam, quod in certorum vocabulorum usu notiones eas, quas ipsis Latini subjecerint, paullum aut extendere aut contrahere cogamur, debere nos a latine scribendo deterreri. Nam ut praetereamus, hoc in plerisque non evenire, (et quidem semper maxima pars spectari debet) Latinorum exempla habemus, ex quibus quae apud eos fuerint cujusque verbi translationes perspicimus: et, quod haud scio, an

(1) Vide Hieronymum Mercurialem At. Gymn. Lib. 1. c. XI. et Rollinium in Commentatione de Conviviis Veterum Romanae Historiae inserta.

primum omnium sit ponendum, haec ipsa eorumdem vocabulorum ad res non plane easdem accomodatio tropi nomine comprehendi potest; tropus enim, ut ostendit Quintilianus(1), non venustatis modo gratia fit, verum etiam saepe necessitate, quum verum et proprium nomen deest. Et sane, si magis attenderimus, aut in re ipsa similitudo erit quaedam, ne dicam proximitas; ut quum alicujus urbis summum magistratum *consules* dicimus, quamvis enim nec trabeam, nec scipionem eburneum, nec lictores habeant, in hoc tamen Romanis illis sunt similes, quod suprema auctoritate rempublicam gerunt, ad id creati, ut populo consulant. Itidem quum Christi Vicarium *Pontificem Maximum* vocamus, qui quod *maximus rerum* (ut Festi verbis utar) *quod ad sacra, et religiones pertinet, judex sit, vindexque contumaciae privatorum magistratuumque*, nihil differt ab eo *Pontifice*, quem Numa instituit. Sed ut alia quoque leviter attingamus, *navium* quis scit, quot et quales fuerint apud Romanos constructiones? nemo tamen nos reprehendit quum machinas ligneas, quibus per mare, flumen, lacumve iter facimus, *naves* aut *navigia* dicimus. Jam enim haec ab illis forma fortasse distant, re autem, ad quam parantur, conveniunt. Pari modo automaton illud, cujus in fronte stilus circumscriptas horas indicat, *horologium* sine reprehensione vocamus, quum tamen nulla *horologia* Romani noverint, praeter solarium et aquarium. Sed hoc videlicet cum illis commune habet automaton nostrum, quod horas indicat. Hoc idem de multis vestium generibus est dicendum. Verbi gratia, ipsas antiquae *poenulae* formas vix licet suspicari; sed nihilominus vestem hanc spissam et fere villosam, quam frigida ac pluvia tempestate

(1) Lib. VIII. C. VI.

super ceteras induimus, recte sic appellamus, quod camdem fuisse *poenulae* opportunitatem scimus, ut frigus et pluviam arceret. Aut igitur, ut dixi, aliqua intercedit similitudo atque affinitas, aut certe translatio quaedam exsistit erudita et jucunda; velut in his ipsis dictionibus: *scripta evolvere*, ex eo, quod antiqui libros convolvere ad cylindri similitudinem solebant; *stilum vertere*, quod altera stili parte delebant, altera notarant; *fasces submittere*, quia id honoris signum erat adversus majores magistratus; *in alicujus sententiam pedibus ire*, quod in senatu qui alicujus sententiam approbabat, in ejus, cui assentiebatur, partem se conferebat; *rem ab ovo usque ad mala exponere*, ab initio et fine coenae antiquorum; et, ne longum faciam, hoc idem in aliis plurimis loquendi modis valet, et maxime quidem in proverbiis.

XI. Sed redeo ad jucundissimas, omnique urbanitate conditas litteras tuas, quibus in extremis quaestionem illam posuisti, an, quum a veterum facultate tam longe absimus, operae pretium sit tanto studio in Latinis litteris versari. Ego vero istuc nihilominus quaerendum puto, ut ad veterum elegantiam accedamus. Etenim id rectissimum videtur, suam quemque linguam prae ceteris omnibus colere. Quod si Romanos imitari tantopere avemus: quae fuit, obsecro, post hominum memoriam patrii sermonis studiosior, magisque retinens natio (1)? Nec vero negari potest id, quod est notissimum, eorum plerosque multum operae Graecis litteris dare solitos; quippe etiam legimus, Marcum

(1) Hoc e multis auctorum locis colligitur. Sed illud vel maxime notatu dignum, quod ipse Tullius a Lucio Metello Praetore, quod in Senatu Syracusano verba fecisset, atque apud Graecos graece loquutus esset, acriter est reprehensus. Vide Actionis II. in Cajum Verrem librum IV. Insignis est locus etiam apud Valerium Maximum L. II. capite de Institutis antiquis.

Antonium oratorem *Graece sic loquutum, nullam ut nosse aliam linguam videretur* (1); Titnm quoque Pomponium sio, ut civis Attici speciem prae se ferret (2); Quinto autem Catulo seni *Graecos ipsos suae linguae subtilitatem concedere* consuevisse (3). Verum sapientissimi homines haudqnaquam in ipsa Graecae linguae cognitione, tamquam in fine, conqniescebant, neque eam propter se expetebant, sed et studio philosophiae adducti, quae etiam tum apud Graecos habitabat, et maxime quod *Graeca oratio plura ornamenta suppeditans* (ut ipse de se loquens testatur Cicero (4) *consuetudinem similiter Latine dicendi afferebat.* Quamquam non defuernnt, qui Graecas litteras ita complecterentur, ut nulla re alia sibi proposita, in has unice incnmberent, ac domesticarum non modo nulla cura, verum etiam fastidio quodam tenerentur; quos inter insignes exstiterunt Aulus Albinus et Titus Albntins. Ergo hi prudentium atque urbanorum hominum reprehensiones non effugerunt (5); alter enim quum res Romanas, ut narrat Gellius (6), oratione Graeca scripsisset, atque in ejus historiae principio veniam gratiamque malae existimationis, siquid esset, ut ab homine Latino, erratum, postulasset, venuste admodnm a Marco Catone irrisus est; alter, qui se plane Graecum dici

(1) Cic. de Or. lib. II. c. I.

(2) Nepos in Attico c. IV.

(3) Cic. de Or. lib. II. c. VII.

(4) In Bruto C. LXX.

(5) Horatius ipse lib. I. Sat. X. poetico quodam somnio Romanos monet, ut latine conentur quae Graecorum scriptis mox opponant:

Atque ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus
Post mediam visus noctem, cum somnia vera:
In sylvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Grajorum malis implere catervas.

(6) Noct. Att. lib. XI. C. VIII.

malebat, ferventi luciliano sale aliquando concaluit. Praeterea totam hanc sectam Tullius ipse in prooemio ad librum primum *de Finibus* scitissime exagitavit. In quo quidem illud est vel maxime notatione dignum, quod eo usque severitatis progreditur, ut dicat, se ab iis, qui Latina scripta prae Graecis aspernantur, *tantum dissentire*, *ut quum Sophocles vel optime scripserit Electram*, *tamen male conversam Attilii sibi legendam putet.* Quibus rebus videtur colligi posse, dandam quidem esse nobis Latinis litteris diligentem operam, atque etiam saepe in domestica umbra Latine accurate scribendum; sed ad eum finem dumtaxat, ut tam excellentium auctorum ingenia deputemus, atque ipsa eorum imitatione consuetudinem similiter Italice scribendi assequamur; caeterum nostra lingua potissimum utendum esse: praesertim quum et ea nihilo pauperior sit, quam Romana, atque omnes sermonis veneres perinde recipiat; et nos Latine, quamvis exercitati, non aeque tamen celeriter scribamus.

XII. Contra haec quid dici potest? nisi forte illud, quod quidem multis, et iis doctis gravissimum videtur, incertum esse, quid Italo sermone aliquando futurum sit; contra vero certissimum, Latinam linguam, dum et religio et litterarum amor manebunt, numquam plane morituram. Qui ergo Latine scribat, eum aeternitati servire; qui Italice, fortasse non item. Praeterea ut in posteritatem non consulamus; vel ad praesentis temporis rationem haud paullo ampliorem habere Latina scripta utilitatem, *propterea quod ista leguntur in omnibus fere gentibus*, Italica *suis finibus*, *exiguis sane*, *continentur* (1). Huc addamus licet doctorum

(1) Sponte hic se mihi obtulerunt ea, quae de Graecis scriptis ait Tullius pro Archia Poeta C. x. *Nam, si quis minorem gloriae fructum putat ex Graecis versibus percipi, quam ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Graeca leguntur in omnibus fere*

hominum complurium exempla, et antiquam hujusce laudis apud Italos possessionem, quam nos ut constanter retineamus, et Muretus et Manutius noster etiam atque etiam hortantur (1). Nam quod tu scribis, istam recentium Latinorum nationem solere esse levem atque in nugis occupatam; id vero hominum, non rei ipsius, vitium est. Utinam quidem omnes illum, de quo superius dicebam, Zanottum imitarentur; qui cum summa Latini sermonis integritate accuratissimam maximarum rerum scientiam conjunxit: profecto etiam ista querela conticesceret. Ego quidem interea Italicas litteras tanti faciam, ut honestissimam hano voluptatem, quam e Latinis soleo oapere, minime sim tamen repudiaturus. In quo spero, te mihi non futurum adversarium, sed etiam talem nihilominus semper et diligam et amabo. Vale, mi praestantissime Georgi, et Malfattum ac Serranum, carissimas mihi animas, plurima salute a me imperti. Roboreti. Pridie Nonas Martias MDCCLXXVI.

gentibus. Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Porro advertendum est, et Tullium, quod Graece sic praeter solitum efferat, causese servire, et ipsum Archiam Graecum esse hominem, non Romanum.

(1) Inter Gallos non solum XVI. saeculo Muretus Italorum in Latinis litteris excellentiam, ut vidimus, agnovit ac praedicavit, sed etiam hoc nostro insignis vir exstitit ejusdem excellentiae laudator, Josephus, inquam, Olivetus, ille, qui tam bene de M. Tullio meritus est, quum omnia ejus scripta lectissimis commentariis instruxit, ac nitidissime edi curavit. Haec autem sunt ejus verba in ipso Prooemio ad volumen primum Orationum M. Tullii: *Italiae gratulemur interim, bonarum artium parenti, quod egregiorum hominum, quos ipsa peperit, studiis aeterna sit Latinae facundiae in majorum suorum ac suis sedibus propagatio.*

CLEMENTINI VANNETTII

EPISTOLAE

I. CLEMENTINUS VANNETTIUS THOMAE SERRANO S. D.

Quam exspectatae mihi advenerint litterae tuae, facile intelliges, mi praestantissime Serrane, si quanto eas opere petierim, cogitaveris. Eas tamen, si non gratiores, quod fieri vix potest, certe jucundiores adjuncta Carmina fecerunt. Non fefellit profecto opinionem meam tua humanitas, ut celerius etiam spe utrinque sancita fuerit haec amicitia. Nam quod ea sigillatim percenses, quibus probabilis tibi visus Commentarius meus est (1), id si approbandae fidei tuae gratia facis, actum agis tu quidem, numquam enim ea scripsissem, quae profecto scripsi, si aliter animum induxissem meum. Sin vero rursus laudandi mei facis, delector, quum video, quid amor in nos tuus ab ipsis quasi incunabulis possis; neque eo tamen secius inflammari me ad novam laudem sentio. Quod autem scribis, amicitiam te meam vel Augusti muneribus praeponere, miror sane cum dictum satis exquisitum, tum istam animi magnitudinem, quam a gente tua obtines; sed vereor, ne nimium mihi tribuas. Mihi ipse nihilominus gratulor, quod illud saltem epistola mea perfecerim, ut sententiam de tuis Jambis mutares, quibus veniam immeritissimo denegabas, patres scilicet in filios iniquiores imitatus; quem locum video te belle

(1) Quem habes in Vol. VII. pag. 213.

tangere. Quo animo in alia haec duo poematia sis, quae proxime misisti, nescio; sed si me, ut nuper, audies, eris optimo. Equidem, lecto Zanovichii istius epigrammate, haesi parumper, incertus quid sibi vellet; sphingis enim aenigma videbatur. Progressus deinde ad Carmen tuum, re vera ita esse intellexi, teque Oedipi personam induisse; cujus mehercle et sapientiam es aemulatus. Ea enim ratione epistolae tuae vices disposuisti, ut Dalmatae Juvenis et institutum patefaceres, et collaudares ingenium, et ipsi in reliquam vitam, velut dissimulanter, certa praecepta dares. Placet autem mihi vehementer hoc Carminis genus erectum, forte, crebris sententiis, quasi luminibus, distinctum, succi ac sanguinis plenum, nec plane, nisi magnis viris, familiare; sic tamen, ut nec alterum illud asperner, deductum, lene, floridum, tersum ac mollioribus etiam ingeniis aptum, in quo perinde excellere te video. Quid enim Hendecasyllabis ad Hieronymum Ferrium tuis limatius? quid absolutius? non enim hic stabo judicio tuo, quippe hominis impendio modestioris; certe quidem felicitatem istam tibi invidebo, qua id es assequutus, ut cujusque poetae stilum prout animus resque tulerit, perfectissime effingas. Itaque noli quaerere, quam mihi gratum facturus sis, si Eclogam, quam animo de me designasti, eam quoque ingenio formatam ad me miseris. Hoc autem memineris face, ab argumenti inopia maxime scribentis spectari ingenium. Nihil est, quod Sodalitati nostrae seorsum per litteras gratias agas; meae enim hae partes fuerunt (1); quamquam non ages, sed referes tu quidem maximas, tam bona Carmina mittendo. Vale. Pridie Kal. Majas, anno MDCCLXXIII.

(1) Sodales Litterarii Roboretani Serranum sibi adjunxerant sub Brellii nomine, auctore Vannettio.

2. BARTHOLOMAEO MALANOTTO S. P.

Quod avunculus meus de curata abs te diligenter, quum hic esses, Bibliotheca publica ad Consilium retulit, operamque dedit, ut, quemadmodum inter vos convenerat, decretum de te fieret; fecit ille quidem quod amicitia vestra ab eo postulare videbatur. Quod autem mihi mandavit potissimum, ut hoc ipsum decretum ad te mitterem, peropportunum mihi praebuit locum, ubi pro mea in te observantia tum virtuti, tum fortunae tuae gratularer. Quod eo maxime dico, quia rarissimam semper existimavi istarum rerum concordiam, illud Virgiliani Herois identidem repetens; *disce virtutem ex me, fortunam ex aliis.* Tibi vero non fortuna minus adfuit, quam virtus. Itaque quum primum audivi, Christophorum Sizzium Pontificem Tridentinorum, pro eo, quanti te faceret, theologiae publicae docendae munus tibi committere decrevisse, ob eamque caussam te istuc evocasse; noli quaerere, quantum ceperim voluptatis. Nam etsi moleste ferebam, talem virum a nobis repente abductum, videbamque demissos ac tristes eorum vultus, quos tu in ipso studiorum cursu destitueras; quum tamen in mentem veniebat, et cujus accitu profectus esses, et in quam Urbem rerumque copiam devenisses, et quam illustris atque ingens tibi campus datus esset, in quo ingenium tuum ac doctrinam latissime explicares; non poteram equidem, quin gauderem, ex hac te umbra in lucem solemque traductum, aliquando ejus virtutis fructus capere coepisse, quae optimum illum doctorum aestimatorem latere diutius non potuit. Quod nomen profecto quam bene Pontifici nostro conveniat, vel ex eo intelligere licuit, quod praeter ceteras honorificas tibi datas provincias, illud etiam

tui muneris fecit, ut universam studiorum rationem modereris, ac reliquis doctoribus omnibus praesis. Qua re declaravit, peracre sibi esse in deligendis hominibus judicium. Atque ad haec tanta ornamenta, quae tuis laboribus reddita intelligis, multa etiam externa commoda laetor accessisse, quae utinam sine aliorum incommodo advenissent. Expulsis enim Ignatianis, veteres eorum sedes ipsi cepistis, Collegiumque vestrum in magnificas illas et amplissimas aedes transtulistis. Bibliotheca praeterea multorum nummorum potiti estis, qua Borcianae, ut arbitror, addita, praeclarum Corpus effecistis. Quum igitur in tantis bonis, quid tu vel ad ornamentum, vel ad utilitatem desideres, non reperiam: illud tibi tantum ad alacritatis incitamentum optabo, ut discipulos ejusmodi habeas, quorum celeres progressus disciplinam tuam, etiam insciis, facile prodant. Hoc si ita evenerit, felicissimum te esse arbitrabor. Nunc, ne alieni dumtaxat tuam virtutem agnovisse videantur, tui neglexisse; accipe quod avunculi jussu ad te mitto, Consilii consultum, et eo cognosce qui sit civium in te animus, quae memoria beneficii tui, quanta commendatio humanitatis. Illud vero tibi persuade, quum tanta erga te sit totius civitatis voluntas, quae hoc testimonium sedulitati tuae dedit, multo majorem illorum esse, quorum opera scriptum est, atque ad te missum. Hoc si credideris, satis tibi de amore nostro constare existimabo. Cura, ut valeas. Roboreti MDCCLXXIV.

3. JOSEPHO SPERGESIO S.

Crebrius tibi, vir amplissime, observantiam meam et beneficiorum tuorum memoriam per litteras declarassem, nisi plurimae et maximae tuae occupationes, quae te non solum ab amoenioribus studiis abducunt, sed etiam a

veterum clientum consuetudine abstrahunt, silentium mihi indixissent. Verum quoniam satisfaciendum nihilominus aliquando officio erat, quo tempore id potius facerem, quam hoc, qnum istnc Johannes Baptista Baronius proficisceretur, non videbam. Etenim arbitrabar, duo me his litteris conseqni posse, quae valde jucunda mihi essent futura: primum, ut ad mei amorem animum tuum renovarem revocaremque; deinde etiam ut eumdem ad istum adolescentem complectendum moverem. In quo tamen facillime patior, ut ipsa ejus indoles et suavitas plus apud te, quam aut mea, aut cujusquam commendatio, possit. Si enim ista quantum ceteris doctis hominibus placuit, quibnscum versatus est Veronae et Bononiae, tantum tibi quoque, qui et scientia inter doctos, et virtute inter magnos viros emines, probabitur; profecto non dubito, quin eum continuo in tuum patrocinium sis excepturus, atque etiam, si usus venerit, pro tua consuetudine ornaturus. Omnino mira est adolescens indole, miro ingenio, praestanti eruditione, mnlta poeticae facnltate, singulari etiam interiorum litterarum studio, nt nihil dicam de amoenissimis ac limatissimis ejus moribus. Nam illud quidem nullo modo praetermittam, si forte ipsi prodesse apud te possit, amicitiam mihi cnm eo, jam antequam Bononiam abiret, fuisse constitutam; postqnam vero rediit, ad eam necessitudinem pervenisse, ut omnia inter nos officia, quae inter conjunctissimos solent, intercesserint, meque ille familiariter diligat, ego illnm sicuti meorum aequalium neminem. Itaque etiam non mediocri dolore afficiebar, quum eripi nobis rursus dulcissimam ejus consuetudinem, atque ipsum tamquam e meo amicorumque sinu divelli viderem, cogitaremque, quam saepe, et quam mnltis in locis versatile ejus ingenium essemus requisituri. Nisi qnod duabus rebus

innitebatur mea consolatio. Nam eum intelligebam, optimum atque utilissimum isti itineri esse propositum finem; veniebat quippe Viennam Vindelicorum ad absolvenda Jurisprudentiae studia, praeclare jactis et aliarum disciplinarum fundamentis; tum vero sperabam, haud ita difficiles ei fore ad principes viros aditus, quorum etiam, ac tui praesertim propensam in ipsum voluntatem mihi pollicebar. Quantum igitur in utroque istorum veri fuerit, propediem cognoscam. Et quoniam quod primum de fine itineris dixi, id ut bene succedat, in Baronii manu est: quod vero de aditu, in tua; tu enim primas inter principes tenes: equidem et illum saepe litteris admonebo, ne in maxima adjumentorum copia sibi ipse desit; et te nunc, optime Spergesi, etiam atque etiam rogo, ut pro tua humanitate cures, ne dupliciter dolendum sit mihi et praesentia sodalis orbato, et spe frustrato. Si enim hunc tum suo merito, tum mea caussa libenter exceperis, et te eumdem in me esse, qui semper fuisti, cum voluptate intelligam, et ipsius desiderium aequiori animo feram. Vale. XVII. Kal. Jul. MDCCLXXIV.

4. FELICI FERCERIO S.

Jampridem reddita sunt Sodalitati nostrae tua Opuscula una cum litteris humanissimis. In quibus quod doles, nullam tibi antehac datam esse bene de nobis merendi facultatem, gratissima est nobis tua voluntas; sed multo gratius, quod eam simul ac copia fuit, re ipsa declarasti. Itaque et tibi gratulamur, quod tanto studio, tantaque constantia fuisti, ut nullae te fortunae vicissitudines, de quibus in tuis litteris commemoras, ab exercendo stilo, doctrinaque tua scriptis explicanda abducere potuerint; et gratias agimus, quod tuas lucubrationes nobis mittere

voluisti, de quibus sane scias, longe aliter nos, ac te existimare. Nec profecto praeter te unum, cujus pudor sic postulat, quisquam parvi fecerit quae tu longo medendi usu animadversa ac notata, in unum collegisti et praeclara eruditione ornasti, ut essent caeteris medicis documento; quos etiam ad omnem suavitatem et benignitatem informas, docesque, quo pacto in ista arte versari sine invidia, immo cum laude possint. Sed non est, cur plura de tuis epistolis; nam si quae in iis laudabilia sunt, omnia persequi velimus, nullam quamvis exiguam partem omittamus, necesse est. Quod idem de scripto illo dicendum est, quo Firmianae gentis originem seriemque complecteris, deque Oratione, qua Leopoldo ipsi Firmiano cooptationem in Patrum Purpuratorum Collegium es gratulatus; quarum lucubrationum in altera diligentiam, sedulitatem, laborem, in altera dicendi copiam atque ubertatem mirati sumus. Sed quando haec omnia, ut scribis, praeter Orationem, manca etiam sunt, quum reliquarum cujusque operis partium lente procedat editio; vehementer sane optamus, ut librarius quidem segnitiem istam abjiciat, tu vero ut bona valetudine perpetuo utaris, quo ipsum praesentia tua excitare atque adjuvare queas. Nihil enim accidere nobis jucundius poterit, quam si reliqua, ut quaeque lucem aspexerint, ad nos mittes, sicque inchoatum beneficium istud quodammodo perficies. Quod, quin sis facturus, non dubitamus, tum liberalitate tua freti, tum vero etiam promissis. Hoc interea pro comperto habe, numquam majore gaudio ac voluptate nostros omnium animos perfundi, quam quum aliquem e sociis nostris in eo pro virili parte elaborantem videmus, ut studiis suis quam maximas reipublicae afferat utilitates; cui rei nulla sane ex omnibus artibus medicina esse potest accommodatior. Utere ergo feliciter scientiae

tuae opportunitate, officiumque nostrum boni consule. Vale. Idibus Septembris. Roboreti. MDCCLXXIV.

5. IOHANNI BAPTISTAE CRASERIO S.

Ad d. IX. Kal. Decemb. salutem per Cobellium abs te accepi, postridie vero etiam litteras, et quidem plenas humanitatis et officii. Itaque valde te amo de ista erga me voluntate. Duodecim jam dies sunt, quum rure redii, nec mehercule invitus; nam ut scribis, venientis hyemis signa omnem amoenitatam sustulerant. Ad normam igitur et circinum me libentissime retuli, quae tamen ita tracto, ut studiorum illorum, quae mihi a prima aetate gratissima fuerunt, non obliviscar, Tulliumque meum frequenter in manibus habeam. Nec vero meam rationem ejusmodi esse arbitror, ut merito reprehendi possit; est enim haec tristitia et severitas mathematicarum disciplinarum litterata aliqua jucunditate condienda et mitiganda, atque, ut Lucretii verbis utar, *quasi musaeo dulci melle contingenda*. Et quando huc sermo evasit, facio te voti tui compotem; mitto enim exemplum illius mei scripti, quo exposui quemadmodum Eratosthenes terrae magnitudinem exploraverit. Sed ego quidem cum ea scriberem, nihil aliud propositum habui, nisi ut experirer, eo quid res difficiles atque implicatas, de quibus ita barbaro, ac lutulento sermone plerique disserunt, ut et majores offundant tenebras, et paullo elegantiores juvenes a legendo absterreant, latine ipse ac dilucide possem explicare. Quod an sim assequutus, tu judica. Dixi autem, me hoc unum habuisse propositum, ne forte putes, me Eratosthenis potissimum dimensionem explanandam suscepisse, quod eam accuratissimam crederem; neque enim alioqui ignoro, fuisse post illum multos, qui in

eamdem rem meliore successu incubnerint; et in primis Monpertuaeum et Condaminium, quorum alter cum ad polum arcticum missus esset, alter in Americam sub aequinoctialem circulum abiisset, aliam etiam, ac veteres crediderant, terrae figuram invenerunt, hoc est, non rotundam, sed ovi similem, sub aeqninoctiali quidem orbe acuminatam, sub verticibus autem obtusam. Ex quo statim seqnebatur, non posse eam in CCCLX. gradus tribui; quo sublato initio, quid jam manet ex tota illa Eratosthenia ratione? Verum quando ea e percepto quodam pendebat, quod proxime explicaramus, nolui dimittere occasionem experiendi id, quod supra dixi. Vale. III. Kal. Dec. MDCCLXXIV.

Tanta vis est geometricorum perceptorum (sic appellat Tullius quae Graeci θεωρήματα), ut res paene innumerabiles, neque ad explendam solum ingeneratam illam hominibus discendi cupiditatem idoneas, sed etiam magno usui interdum futuras, eorum auxilio philosophi pervestigarint. Quod cum ex iis apparet, quae alias memoravimus, tum vero e celebratissimo illo Eratosthenis invento de terrae magnitudine mirabiliter elucet; cui quoniam proxime explicatum de alternorum aequalitate angulorum perceptum caussam attulit, non aliena ab hoc loco videtur esse ejus mentio. Sed antequam ad ipsum venimus, quaedam, quo melius intelligatur, de solis cursu, radiorum descensu, umbrarumque jactu (haec enim in propositum incurrunt) praemuniemus.

Jam illud primum omnium tenendum, terram quinque cingulis, ab astronomis quidem excogitatis circumdatam et quasi redimitam esse, signifero videlicet, qui graece ζωδιακὸς appellatur, Aequinoctiali, Solstitiali, Brumalique et Meridiano. Signifer Orbis est, quem sol oblique se ferens, anno vertente conficit. Aequinoctialis nomen ab re

accepit, quod, ubi in eo est sol, dies et nox pari spatio finiantur; isque terram, ab oriente ad occidentem procurrens, in duas partes aequales dividit. Porro circuli solstitialis, et brumalis ad circulum aequinoctialem quasi linearum parallelarum instar obtinent: quos ideo dicunt astronomi longissimum solis ab aequinoctiali intervallum definire, quia ad eos quum pervenit, continuo se refert. Meridianus autem a septemtrione ad meridiem se porrigens itidem in duas partes terram dividit: quem ubi sol attingit, diei medium est. Quum autem non omnibus locis eodem temporis puncto meridies sit, sed alibi citius, alibi serius pro situ locorum, solisque processu; intelligi ex hoc potest, suum cuique regioni Meridianum esse, tametsi multa loca sub eodem esse possint. Ad haec sciendum, solem quibusdam regionibus ita recte certo anni tempore imminere, ut, nullis per meridiem exsistentibus umbris, agri incolaeque torreantur. Sed de sole ipso satis, ad id quidem, de quo agitur: nunc pauca de ejus radiis, deque umbris.

Ac radii quidem omnes, qui a sole manant, etsi in ipso exitu diversi ferantur et quasi divaricentur, ubi tamen ad summam terram devenerint, pro parallelis haberi solent. Quum enim ea demum parallela sint, quae in immensum protensa, aequalibus semper spatiis inter se distant; ex infinita prope loci altitudine, unde solares radii descendunt, fit, ut ii quam latissimos ad basim efficiant angulos; et ea re continens illa ac mutua recessio minime appareat, contraque ad perpendiculum defluere videantur; quod est e natura parallelorum. Id autem contra eveniret, si ex humili loco radii demitterentur; namque obliquus eorum digressus, ob angulorum ad basim angustias, sponte in oculos incurreret.

Illud praeterea notari debet, quod quum corpus quodpiam ita est constitutum, ut in illud radius ad lineam incidat, umbra exsistere nulla potest; quod si obliquum stet, tantum erit umbrae, quanto spatio radius rectam viam insistens, ultra corpus se tulerit, contacto cjus in transitu apice. Ex quo etiam intelligitur, qua ratione umbrae et sole novo maximae sint, quum eo tempore radii de transverso venientes, quam longissime a corporibus porrigantur; et alto, multo jam contractiores; et medio, quam brevissimae, donec per eosdem gradus in matutinam longitudinem sub occasum recreverint.

Nam quod dixi de obliquo corporum statu, id ita intelligendum est, ut omnis ista eorum obliquitas ad solis radios referatur, non ad terram. Quis enim alioqui nescit, ut Circuli radii ad punctum, quod κέντρον Graeci vocant, sic corpora, quae ubique in globosa ista terrae extremitate sint posita, ad medium ejus locum directa esse? Ex quo adeo fit, ut non magis recti sibi videantur qui summum Orbem tenent, (sic enim loquar) quam qui obliqui stant, aut aversi, aut etiam adversi summis: quod genus incolarum ridicule quidam tollebant: Atque haec hactenus. Venio ad rem.

Eratosthenis igitur Philosophi Cirenaci, qui Aristoni Chio et Poetae Callimaco operam dedit, inventum fuit ejusmodi, ut omnem terrae ambitum, sedens ipse, metiretur. Nam quum esset in Aegypto, exstarentque tunc temporis nobilis in primis urbs Alexandria, nec ignobilis Syene, quarum altera ab altera quinque millia stadiorum distabat, utraque tamen eodem Meridiano utebatur, animadvertit, apud Syenem per aestivum solstitium, eo quod sub ipso solstitiali Orbe sita esset, nullas umbras meridie fieri, apud Alexandriam vero non item. Quae res videtur admonuisse

hominem, quo pacto terrae magnitudinem investigaret. Quum enim perceptum illud teneret, ubi duas parallelas transversa linea secet, hoc etiam praeter caetera effici, ut alterni anguli pares sint; contulit se ad dimentiendam umbram, quam obeliscus quispiam, qui Alexandriae fuerit, et radius recte cadens ita efficiebant, ut triangulum inde exsisteret; cujus superiorem angulum quum septem graduum esse, et eo amplius, comperisset; quoniam mente ac ratione videbat, radios in Alexandriam, Syenemque demissos, pro parallelis habendos esse, quorum etiam alter, is, qui Syeni incideret, ad ipsum terrae medium fingi posset protendi; itemque obelisci loco lineam animo concipiendam, quae ex eodem medio profecta, a radio ad radium, vel potius a parallela ad parallelam transversa excurreret; collegit, angulum, quem in medio transversa haec linea cum parallela efficeret, angulo, de quo diximus, alternum, ideoque parem esse, gradibusque circiter septem constare. Quo cognito, sequebatur, totidem graduum spatium illud esse, quod inter Alexandriam, et Syenem intercederet; totus enim ille extremitatis tractus nihil aliud erat, nisi arcus, atque adeo mensura effecti in medio anguli. Itaque Eratosthenes, qui sciebat, et Syenem supra Alexandriam esse quinque millibus stadiorum, et universum terrae ambitum, ut quemlibet circulum, in CCCLX. gradus tribui; pulcherrimum calculum iniit, ex quo collatis ejusdem generis quantitatibus, nempe gradibus datis cum gradibus, et ipsis datis, stadiisque cognitis cum quaesitis, et utrarumque quantitatum investigata proportione, collegit, universum terrae circuitum ducenta quinquaginta millia stadiorum comprehendere.

Atque intelligi ex his potest, quam vere docti homines dicere soleant, scientias, non secus ac catenarum annulos,

ita inter se aptas et colligatas esse, ut frustra saepe ex alia, quod quaeras, elicere in totum postules, nisi alia porro lumen ad reliquam cognitionem opportune attulerit. Etenim Eratosthenes nec investigationis suae fundamenta sine geometria jacere potuisset, nec ipsam investigationem ad exitum adducere, si arithmeticae adjumentis caruisset. Optabile autem est, ut ad hujusmodi studia illa potissimum ingenia se conferant, quae maxime observandis notandisque rebus delectentur. Nam cum in harum disciplinarum commentatione opera praeclare ponitur, tum vero, si aliud aliquid praeter ipsas disciplinas quaeratur, eaeque ad rerum indagationem accomodentur, admirabilas, ut videmus, fructus exsistunt. Quid enim est tam mirabile, quam totius terrae, cujus nos modo quasi punctum incolimus; quam caelestium globorum, quos numquam lustravimus, et a quibus quam remotissime absumus, magnitudinem, cursus, intervalla definire: tam explorate quidem, ut non certius de iis pronuntiemus, quae nobis ante pedes obversantur? Ex quo adeo minus mirari debemus, si rei divinitas quaedam supra imperitorum non dicam intelligentiam, sed vel suspicionem posita efficit, ut hi ipsi mathematicorum inventa risu interdum excipiant, dubium, ridendo, an miserando. Qui enim ipsi tenebris obvolvuntur, nec spectant, nisi vilia et abjecta, nequeunt sibi persuadere, quemquam studio atque solertia, in immensa illa caeli spatia extolli posse, atque ad illos sempiternos et clarissimos ignes animo ac ratione admoveri. Nobis autem, qui alienae coecitatis miseremur, eo acrius, quam in caetera, in haec studia incumbendum est, quod illa in magna saepe rerum ac verborum ambiguitate, atque infinitis et inexplicabilibus plerumque quaestionibus versari solent, in quibus qui minime absurda dixerit, is palmam tulisse putandus est; ista certissimis,

iisdemque maxime illustribus fulta principiis, in omnes reliquas partes, eamdem illam perspicuitatem atque evidentiam diffundunt, qua res non conjectura arguuntur, sed perpetua rationum serie probantur; quae non persuadet, sed cogit, non fidem facit, sed vim affert, cujus denique beneficio, humana subtilitas exculta, additaeque menti, ut ita dicam, sunt alae, multo quidem daedaleis illis meliores ac praestantiores.

6. SIMONI STRATICO V. CL. S.

Nulla mihi jucundior illuxit dies, nec quae magis albo lapillo notari digna esset, quam ea, quae facultatem nobis tui praesentis primum obtulit. Habet etiam praecipuam quamdam delectationem aspectus et colloquio eorum, quorum cognitam fama virtutem jampridem magna cum admiratione diligebamus. Tu vero, quum et rerum maximarum scientia in primis excellas, et ad eam scientiam summam humanitatem jucundissimosque mores adjungas (quae te videlicet laudes in isto tam alto dignitatis gradu collocarunt), nos quidem omnes in tui amorem rapuisti, me vero ita plane incendisti, ut adfirmare non verear, te neminem habiturum tibi devinctiorem. Atque utinam, ut nemini in te observando concedo, ita etiam in declaranda tibi mea observantia cum aliis certare possem. Sed nescio quo fato fieri plerumque solet, ut in quibus voluntatis est plurimum, in iis minimum sit facultatis. Verumtamen, si minus majora praestare potero, in eo certe, quod mea imbecillitas patiebatur, nolui te desiderare officium meum. Itaque dedi operam una cum Francisco avunculo, ut ex Academiae Bibliotheca Spergesianam Tyrolis formam promere liceret, tibique mittere, simulque ut ipse in Academicorum coetum

adscriberereris. Quarum rerum altera, propter nominis tui auctoritatem consiliique utilitatem (est enim tibi propositum de Athesis praesertim cursu, a nomine satis adhuc diligenter descripto, accuratiora quaedam edere), minus habuit difficultatis, quam si cuivis alii ac tibi, fuisset satisfaciendum; altera etiam ita facilis fuit, ut ipsi Academiae proceres ultro postulationi nostrae occurrere, teque sibi adjungere gestire viderentur. Quod totum ingenio et virtuti tuae debes, quam admirati nostri homines intellexerunt quantum Academiae decoris et roboris in uno Viro esset acquisitura; idque celeriter omni studio sunt amplexi. Habes igitur et optatam illam, ac diu multumque quaesitam Spergesii nostri tabulam, qua te ad ea quae moliris feliciter uti volumus, et academicum diploma, quod quoties videbis, toties speramus fore, ut nostrae erga te voluntatis, nostrique de tua praestantia judiciis recorderis. Mihi vero quid gloriosius accidere poterit, quam in clarissimi Viri cogitationes pervenire, ejusque animo interdum observari? Quod te oro atque obsecro, ne, si quid grata haec tibi sunt quae feci, amicitiam mihi tuam denegare velis; in quam quidem si receptus a te fuero, magnum quoddam ac praeclarum bonum me consequntum esse arbitrabor. Mater mea et avunculus Franciscus, qui te maximi faciunt, diligenter mihi mandarunt, ut tibi suis verbis multam salutem adscriberem, seque, quoad vires ferant, nusquam tibi defuturos significarem. Quod idem facio magistri mei Clementis Baronii nomine, viri, ut omnes norunt, gravissimi et doctissimi, ut ipse cernere potuisti, tui studiosissimi, qui etiam incredibiliter laetatur, suum potissimum principatum (nam Censor quidem est perpetuus) tam praeclari socii accessione esse illustratum. Tu, nescio an Robertiam, vel potius Deliam nostram lectissimam (Tibulliano enim nomine,

et quidem a nostris imposito, libenter utor) post reditum tuum conveneris, eamque a me salutaveris: verum, utcumque est, rogo te etiam atque etiam, ut id vel nunc primum, vel jam iterum facias: si enim eleganti dumtaxat matronae tantum a viris tribui solet, quod est jam officium, quod et eleganti et doctae non debeatur? Scripta paene epistola, Felix avunculus, per quem tibi haec mittuntur, salutem verbis tuis nobis nuntiavit, quam ut scias nobis dulcissimam visam esse, gratias tibi agimus maximas, et in hoc quidem referimus, optamusque praeterea, ut sanus et incolumis aetatem agas, quo diutius et viva voce et omni doctrina refertissimis scriptis reipublicae prodesse queas. Vale. VII. Idus Dec. MDCCLXXIV. Roboreti.

7. ALEXANDRO GEORGIO S.

Omnibus me officiis ultro abs te provocari video, vel potius miror. Quum enim nulla tibi mecum intercederet amicitia, nomenque adeo meum vix semel aut iterum audisses; librum, quem de grammatica institutione edideras, mihi dono misisti. Quum autem laudassem quidem illum apud Malfattum, tibique, ut par erat, gratias egissem; ceterum quod in animo habebam, nondum perfecissem, ut ad te scriberem; ipse ejusmodi litteras ad me dedisti, ut qui eas legerit, harum rerum ignarus, nihil me tibi, te mihi plurimum debere sit putaturus. Ita in hoc quoque quas ipse partes peragere constitueram, eas singularis humanitas tua praeoccupavit. Sed tamen hactenus, si me amas: alioqui clamabo me a te plane obrui. Quid enim vel in praesens, etiamsi essem eloquentior, tam effuse atque ita ornate possem dicere, quin benignitas tua id longe superaret? Verum praeclare mecum agitur, quod ita natura

comparatum est, ut qui maxime liberalis ingenii sunt, aliosque libentissime ornant, iidem sibi agi gratias quam aegerrime patiantur. Quamobrem non agam tecum de hac re pluribus, ne quid videlicet faciam contra id, quod tua natura desiderare videatur. Tantum illud omni tibi asseveratione adfirmabo, me, dum vita suppetet, singulari te semper observantia atque amore, tuaque in me officia quam gratissima memoria prosequuturum. Ut enim caetera mittam, hoc ipsum, quod latine ad me scripsisti, et eo quidem animo, ut mihi quam maxime placeres, ejusmodi est, ut nihil neque amantius a te excogitari, neque jucundius mihi accidere potuerit. Quid, quod tam nitide, tamque suaviter scripsisti, ut tales litteras legens incredibili quadam voluptate perfunderer, nec umquam expleri possem? Vel id unum me tibi devinciat, necesse est. Quare noli, quaeso, me cogere ut tibi credam, illum latinae orationis nitorem, qui in te aliquando fuerit, periisse. Fieri enim potest (ne omnia negare videar, ac laborem illum agnoscere nolle, quem in latinis litteris longo intervallo revocandis mea caussa subjeceris) fieri, inquam, potest, ut facilius olim latino scripseris, quippe hoc efficit stilus quotidianus; ut vero etiam purius et elegantius, qui est verisimile, quum ad istam munditiem (aut me omnia fallunt) nihil admodum possit accedere? Ego quidem nescio qua impellente naturae vi, ita ab ineunte aetate romani sermonis amore flagrare coepi, ut ejus studium non modo numquam intermiserim, sed etiam prae reliquis studiis quam diligentissime coluerim. Quod utinam omnes sic haberent persuasum, sapientissime quodam loco scripsisse M. Tullium, non esse quidem contra universam naturam contendendum, sed tamen, ea conservata, propriam naturam sequendam esse; ut, etiamsi sint alia graviora atque meliora, tamen nos studia nostra

naturae regula metiamur; profecto nemo esset, cujus judicio meae vigiliae meique labores improbarentur. Ceterum, etsi quantum in ea re tot annis profecerim, multo alios malo, quam me ipsum judicare; non sum tamen ita caecus (dicam enim, non tributae mihi a te laudis refutandae gratia, quod alii veteratoria quadam modestia faciunt, sed quia plane ita sentio) non sum, inquam, ita caecus, qui non videam, me, ut a tua facultate propter assiduam consuetudinem non longissime absim, certe ab ista suavitate et quasi lenitate orationis esse quam remotissimum. Nihil enim, mihi crede, tuarum litterarum sermone dulcius, nihil mollius, nec quod magis placide et aequabiliter flust. Quo vehementius a te peto pro ea amicitia, ad quam me ultro vel muneribus invitasti, ut latine, quemadmodum instituisti, saepius, vel certe quum erit commodum, ad me scribas, atque in hoc uno propositum illud italice scribendi mea caussa non teneas. Ad quod quidem si idcirco descendisse te scirem, quia haeresim illam sequereris, in qua multi hodie sunt, et maxime Gallorum amatores, nullam apud nos latinitatis possessionem jam esse posse; remitterem te ad pulcherrimum Ferrii nostri librum (1), et, quod plus est, tuis te scriptis urgerem et convincerem. Nunc quoniam intelligo, te minime quidem recentibus opinionibus favere, sed temporibus tamen atque hominum studiis inservire velle; cordatum, et sapientem summaque laude dignum judico. Verum, ut libere loquar, plures ista sapientia reperiuntur; quotusquisque autem ista ingenii vi, atque ista felicitate? quum enim, ut modo dicebam, italico sermone tibi utendum existimares, ita omnes ejus delicias,

(1) Hieronymus Ferrius rhetor clarissimus edidit L. Epistolas contra Alambertium pro usu Linguae Latinae.

omnes veneres didicisti, ut Florentiae natus atque altus esse videare. Quid enim floridius stilo eo fingi potest, quo grammaticum illud opus conscripsisti? quo quidem in opere etsi nihil non probabile videatur (nam profecto sunt omnia et excogitata utiliter, et apte disposita, et elata eleganter), quum tamen ea maxime laudavi, quae tibi quoque ipsi in primis arridebant, est mehercule, quod gratuler judicio meo. Utinam meliori fortuna in reperiendis huic libro emptoribus essem usus! Sed horum paedagogorum partim ignavia, partim levitate factum est, ut nihil proficerem. Sunt enim quidam ita veteri consuetudini addicti, ut persuasum habeant, novissima quaeque esse deterrima maximeque fugienda, quorum tamen nemo est, quin malit jus recens, quam pridianum. Sunt alii, quibus omnis, qui in pueris erudiendis impenditur, labor atque omnis opera molestissima est; quos quantum ab illa rationis tuae subtilitate abhorrere oporteat, praeclare intelligis. Sunt autem plures, quibus non tam voluntas deesset, quam indoles quaedam ad haec percipienda scienterque experienda accommodata. Non mirum est igitur, si satis negotii habui in his binis exemplaribus extrudendis. Sed pergam dare operam, si quid forte confici deinde possit. Hoc interim satis habeas, quod opus tuum, si minus est avide ab ignavis paedagogis exceptum, at mirifice a nostris Academicis est probatum. Qui quidem quum de ingenio atque acumine tuo, et mehercule etiam de nativo quodam lepore ex illo judicaverint, in eorum te coetum sine cunctatione adsciscendum putaverunt. Itaque non, ut tu censes, magis te aliquid posse, quam aliquid fecisse arbitrati sunt, sed et praeclarum ingenii specimen dedisse, et praeclariora deinceps dare posse; quale certe futurum illud esse arbitror, quod in manibus habere te scribis; quum praesertim vel tibi, delicatissimi

fastidii homini, sit placiturum. Itaque noli quaerere, quam avide exspectem. Verum tuo commodo, sic tamen, ut ne Serranum imiteris. Serranum autem, an me? mehercule utrumque. Iste vero non ferendus, qui quod in me vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. Sed nolim tam magna a me exspectes, quam profecto videris; quid enim si *nascetur ridiculus mus?* Verum longius progredior, quam epistolae modus patiatur. Ex quo tamen intelligere potes, quantum me tuae litterae delectarint, quibus tam multis verbis responderim. Et quoniam ita benignus fuisti, ut omnia, quae me velle existimaveris, te mihi diligenter facturum sis pollicitus, in quo quidem numquam tibi concedam; pro certo habeas velim, nihil esse, quod mihi gratius facere possis, quam si ad me quum per occupationes licebit, latinas litteras miseris. Quod si facies, et officia in me tua magno cumulo augebis, et vero etiam istius laboris, quem mea caussa suscepisti, fructum quam diutissime conservabis. Reliquum est, ut te rogem, ut Serranum lepidissimum plurima salute a me impertias, itemque Malfattum nostrum, cujus suavissimam atque omni humanitate maxime conditam convictionem tibi, si fas est, propemodum invideo. Nihil enim magis pertinere ad beate vivendum arbitror, quam virorum bonorum, nostrique amantium consuetudinem. Vale. Roboreti. XIII. Kal. Jan. MDCCLXXV.

8. PETRO POLIO S.

Quaeris, ut ad me pertulit tuis verbis Mucius, quae caussa potissimum Appium Claudium Caecum impulerit, ut viam illam omnium magnificentissimam muniret; dicis enim, te nescio quid narratiunculae in auctore quodam reperisse, quasi obscuri cujusdam civis scripto ad id incitatus

fuerit Claudius; ac praeterea scire, de hoc ejus opere mentionem a Livio fieri in libro ix. Historiarum. Ego Livium statim inspexi in eo libro, caputque notavi, et totum tibi locum descripsi, ubi de Via Appia sermo est. Nihil tamen reperi, quod declaret, quae caussa Appium impulerit; quin parce admodum de hae re Livius loquitur. Plura ejus enarratores, Drakenborkius et Godelevaeus; etsi ne isti quidem caussam attingunt, ut videbis. Forcellinium quoque, quem Thesaurum appellare soleo, consului, et quae pertinere quoquo modo ad rem videbantur, excerpsi. Praeterea quaedam descripsi ex Alexandro ab Alexandro, atque ex Johanne Rosino. Et tamen in his, quos nominavi, nemo est, qui de eo, quod scire maxime cupis, disputet. Verum ex Alexandri verbis cognosces, non unum Appium sese talibus operibus nobilitasse, quum Censuram gereret, sed et alios ejusdem Ordinis complures idem fecisse. E Rosino autem et Forcellinio colliges, viarum faciendarum munus, priscis temporibus, ad Censores pertinuisse. Quibus rebus non arbitror nos magnopere erraturos, si opinabimur, non aliam ob caussam id operis suscepisse Appium, nisi ut insigne aliquod monumentum exstaret Censurae suae, quo posteris videri posset suo munere egregie functus. Quod et Aediles, et Consules facere solitos legimus, in iis scilicet rebus, quae cujusque Ordinis officio convenirent. Hoc autem interea teneri posse existimo, dum melius aliquid et accuratius inveniatur. Itaque, si in ista vestra Bibliotheca scriptores illos habetis, quos Drakenborkius, Godelevaeus et Rosinus citant, auctor tibi sum, ut eos adeas, et excutias; est enim verisimile, ut aliquis tibi, ad ea, quae quaeris, satisfaciat. Ego quidem, quae praestare potui, nihil praetermisi. Vale et me ama. Nonis Febr. MDCCLXXV.

9. CONSTANTINO LAURENTIO SUO S. P.

Gratissimum mihi fecit Fontana noster (1) quod ad me diligenter perscripsit, et quid sibi de morbo hoc meo videatur, si modo morbus est appellandus, quum praesertim jam remiserit; et quid mihi faciendum censeat, quo celerius convalescam. Etsi, ne quid dissimulem, succenseo ipsi aliquantulum, quod, quasi cum homine meticuloso sibi res esset, quiddam injecit de bono animo habendo, et revocanda hilaritate. Atqui scripseram, me nequaquam esse tristem. Ergo, inquis, injuriam tibi fecit? Audi, sed in aurem: non mehercule, mi Laurenti, injuriam mihi fecit, sed cognovit, me falsum scripsisse: eo illi sum iratus. De epistolis meis, quando instas, cur potius contendere pergam adversus te quam mihi ipse suaviter blandiar? De me autem quid tibi ego dicam? melius quotidie valeo, et cibum jam appeto; sed indictam mihi frugalitatem sancte custodio. Attamen visa mihi est Matertera constantiam meam bellariis velle pertentare; verum quid putat? equidem devorabo. Tu ei meo nomine gratias ages. Vale. VI. Kal. Oct. MDCCLXXV. de Iseriano.

10. LAURENTIO SUO S. P.

Rogas me, mi Laurenti, ut tibi explicem versus illos, qui sunt in Scena II. Actus I. Adelphorum:

Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum:
Te plura in hac re peccare ostendam.

(1) Josephus Fontana Roboretanus, Felicis et Gregorii, magnorum hominum, frater, ipseque magnae existimationis medicus, et Beccario Puteoque magistris plane dignus: celeri vir ingenio ac parata facundia, singulari etiam antiquitatis, et orbis terrarum situs notitia. Vixit annos LIX. obiit IV. Kal. Aprilis anno MDCCLXXXVIII.

Atqui nihil hic video magnopere difficile, aut implicatum; immo omnia, meo quidem judicio, sunt ejusmodi, ut vel optime per te intelligere potueris. Quum enim in tota hac scena Demea cum Mitione fratre acriter super Aeschino filio contendisset, Mitioque multa dixisset, quamobrem ille aequiescere, ac sibi adolescentique placari deberet; quumque Demea nihilominus fureret; tandem, *aut desine*, inquit placidus frater, *aut cedo quemvis arbitrum: te plura in hac re peccare ostendam.* Hoc est dicere: *aut desiste in Aeschinum invehi, quem mihi, tamquam patri, commisisti, et meam rationem ac disciplinam accusare; aut ipse elige et statue inter nos quemvis judicem, ad quem caussam nostram deferamus: equidem non vereor, ne coram isto non facile probare possim, te nobis multimodis iniquum atque injurium esse.* Hoc autem declarat Mitio, quam bona sit ejus caussa, quae alienum judicem, et eum ipsum, quem elegerit Demea, non reformidet. Itaque verba sunt et aequi hominis, et simul sua caussa confidentis. Aequitas quidem in eo est, quod non postulat, ut sibi uni credatur, quum suam ipse rationem defendat; sed significat, se libenter vel alieno judicio rem permissurum; fiducia autem in eo, quod judicem, non ipse aliquem sui fortasse studiosiorem proponit, sed et a fratre, hoc est, ab adversario, et quemlibet, nempe vel severiori disciplinae deditum, constitui vult. Huic judici ergo, qui Demeae potius, quam sibi, amicus videri possit, ostensurum se nihilominus ait, multa in ea re a Demea peccari; caussamque obtenturum. Quod si eveniret, nihil fore amplius, quod ille insectari, aut omnino hiscere auderet. Porro Demea multimodis injurius erat, et quod nihil adolescentiae concedebat, eamque senectutis studia, remotis omnibus voluptatibus, persequi postulabat; et quod Aeschinum curiosius observans, reposcere

illum a Mitione, in cujus disciplinam ac potestatem penitus tradiderat, videbatur; et quod haec agens fratremque accusans, ira se praeter modum efferri patiebatur; merito igitur Mitio, *ostendam*, inquit, *te plura in hac re peccare*. Habes, mi Laurenti, hujus loci, alioqui satis aperti explicationem. Ceterum, quod Mitio coram fratre defendit, non esse flagitium, adolescentem scortis et comissationibus deditum esse, id ejusmodi est, ut non totum, sed ex parte dumtaxat admitti possit. Nam licebat quidem romanis adolescentibus per aequos majores voluptatibus illis, ad quas aetas illicit, frui; atque idcirco etiam meretrices permittebantur, ne qua nobilibus foeminis fieret injuria; qua de re legendum est acitissimum quoddam exemplum apud Valerium Maximum; verum in his ipsis temperantiam quamdam ac modum servare debebant, quem si transirent, libidinosi, turpes ac profligatae pudicitiae habebantur; si tenerent, nihil aliud, quam amoeni atque hilares. Itaque praeclare Cicero in Oratione pro Marco Caelio: *Ego, Judices, si quis hac indole atque hoc robori animi* etc. etc. Vide ibi totum locum, sed et alia non pauca, quae in hanc sententiam disputantur quibus mirificum mihi videtur huic Scenae lumen afferri. Ad Mitionem autem ut redeam, illud te adnotare volebam, ipsum, quum praecise ac sine ulla excerptione perneget, flagitium esse, adolescentulum scortari; nequaquam ex animo loqui, verum tempori ac caussae servire, fratris duritiae data opera adversando, et in alteram extremam partem abeundo. Id quod ipse profecto Demea, continuo profitetur:

Nec nihil, nec omnia haec sunt, quae dicit: tamen, et caetera. Quae omnia divino artificio a Terentio sunt posita, ut quivis intelligat, hunc patrem, quamvis lenitati, quam severitati multo sit propior, non omnino tamen huic

nuntium remisisse. Sed satis nugarum. Vale. De Iseriano. Anno MDCCLXXV. XVIII. Kal. Decembris: quo die primum et vigesimum, ut scis, annum ingredior: qua aetate multi jam praeclari aliquid vel gesserant, vel scripserant; ego autem tale adhuc nihil. Itaque inter serias potius cogitationes, quam inter amicos et pocula hic mihi ducendus esset dies, et in omnem partem laudabilioris vitae sumendum initium. Sed haec sapienter dici dumtaxat solent. Flavium saluta, cujus hesternae quidem litterae haud mihi satis placuerunt. Quod tamen intendere debet, non refrigerare ejus studium. Cur enim alioqui venia nos digni non simus, quum ipse Homerus interdum dormitare dictus sit? Quare ut esset superbiae, si quid male scripsisse reprehendamur, iniquiore animo ferre; ita est prudentiae atque industriae curare, ut non saepe hoc nomine simus reprehendendi. Numquam ego illum in litteris profecturum putabo, qui monitorem non patiatur. Vale.

II. ALBINO S.

Video quid agas: postquam bene pastus potusque domum rediisti, et longas et facetas litteras mittis, ut mihi persuadeas, ingenium tuum non tam libris quam prandiis ali, teque ob id ipsum crebrius invitem. Sed actum agis, mi Albine; nam etiamsi nihil tale commentus esses, tamen te eram crebro invitaturus. Etenim scias velim, nihil aeque in convivio me delectare, atque adeo palatum mihi excitare, quam eum convivam, qui et quamplurimum, et quam avidissime edat. Quod quum ita sit, crebro te invitem, necesse est; non enim video, qui tecum in hac quidem re sit comparandus. Sic igitur habe, me, quum te ad prandium voco, etsi tua videor, mea tamen potissimum caussa facere.

Quare omitte, quaeso, istas facetias, quas dum tanto labore quaeris et conglutinas, ungues tibi totos corrosisti; id potius aperte dic et prae te fer, quod unice apud me valet, te omnium, qui in urbe sint, helluonum esse maximum. De quo quum mihi nullum sit dubium, in crastinum diem vocatum te volo. Vale. MDCCLXXV. de Iseriano.

12. TALIARCHO SUO S.

Scire aves, quid respondeam ad ea, quae de Staberio, qui in magna avaritiae infamia proxime excessit, scripsisti; in quibus ita te jactasti, ut ab ejus adversariis corruptum merito suspicer. Sed tandem

Amoto quaeramus seria ludo.

Ego vero, mi Taliarche, sic existimo, Staberium, quum quidquid fecit, vehementer fecerit, ac non unus e multis, sed inter multos in suo genere singularis fuerit, aut summae cujusdam improbitatis fuisse hominem, aut summae sanctitatis, nihil esse medium. Sic se prorsus res habet: aut omnes avaritia superavit, aut altissima quadam excelluit animi magnitudine. Sive enim vitium sequutus est, sive virtutem, nihil mediocre fuit homini illi. Tu autem praeclare nosti, quam vicina sint virtutibus vitia, et quam brevi limite judicium nostrum saepe labatur. Quî igitur licet dijudicare, utrum vir pessimus an optimus fuerit Staberius? hoc quidem nec ad nos pertinet, nec posse nos arbitror. Sed tamen si in contrarias partes sit disserendum, quaedam concurrunt, quae illum summa gloria afficiant. Age enim, finge paullisper, adesse hominem, vel si mavis, ejus umbram, in quam iratior aliquis haec conjiciat: jamne, odium, ex tua sordidissima domo in multo pejorem migrasti? quid tibi divitiae nunc prosunt tuae? vixisti, si tua

illa dicenda vita fuit, odiosus atque invisus omnibus, tibi ipsi gravis. Te cognati aversabantur, te cives diris urgebant precibus, ne mali quidem ferre te poterant, boni vero ita fugiebant, ut venenum aliquod, aut pestem. Nullis hospitibus, nullis amicis utebaris, praeterquam tineis, araneis, culicibus ac pediculis, quibus non modo totae aedes tuae, sed etiam omnes corporis tui partes foedissime scatebant. Quibus in sordibus, et quo in paedore quum miserrimus viveres, illud etiam adjiciebas, ut detritis ac laceris te vestibus amicires, quum optimarum, quas majores tibi reliquerant, plenas arcas haberes; ut putrido caseo et recocta polenta famem depelleres, quum macellum, ac tabernae omnes opibus tuis paterent. O dementiam! o coecitatem! Nihil pensi habebas, praeter unam pecuniam, cujus ut, non ingentes, sed infinitos exstrueres cumulos, valetudinem, famam, amicitias, omnia denique negligebas. Quis te umquam in templis, quum sacra fierent, vidit? quis egenis opitulantem conspexit? jacebas, impurissime, in coeno sterquilinii tui, latebas incubans saccis ac scriniis: lucem ipsam et solem avaritiae tuae testem reformidabas. At moriens rem tuam pauperibus reliquisti. Mirum, quin tecum ad inferos quoque auferres! Nihil me fallis. Quum enim in eo esses, ut nummorum aspectu jam frui non posses, tum subito liberalis factus es. Sera est, Staberi, tua ista liberalitas, postquam avaritiae locus esse non potest. Etsi quid liberalem te dico? hoccine pacto liberalis fuisti, ut sorores fraudares tuas, sororisque tuae filiam ad lectulum provolutam, obsecrantem flentemque durissimis verbis incredibili pertinacia repelleres? qui etiam, ut vitam turpissime actam pari exitu clauderes, foedam illam animam nudus exhalare voluisti, nisi quod pediculi tui pudenda corporis, nec honestiorem tibi vultum, facto velut agmine,

convelabant. Haec, Taliarche, si ita consideres, jam actum sit de Staberii existimatione. Sed fac nunc, Staberium, ut lentus natura fuit, haec contra leniter dicere: Quisquis es, qui me arguis, scito, brevem esse orationem vita functis. Quod igitur mea ratio nec tibi, neque in vulgus probata sit, nihil miror. Longe enim abhorruit a vestris opinionibus ac consiliis. Insederant videlicet mihi altius Christi Optimi Maximi sapientissima dicta. Sic ergo vitam institui, ut et divitiis affluens nihilominus paupertatem animo assequerer, et quum ob id ipsum divitiis non uterer, avarus, improbus, scelestus, vel certe insanus ac stolidus existimarer. Haec duo quum proposita habuerim, paupertatem et contemptum hominum, atque odium, si quae vivens cogitavi ac feci, ad ea ipsa referas, omnia illico explanata atque explicata cernas. Licet, opinor, mortuis se ipsos laudare. Quae igitur vitio dabatis, ea re ipsa virtutis erant, sed vitii specie, quam sedulo prae me ferebam, decipiebamini. Pecuniam data opera augebam, quo egenis aliquando relinquerem, tunc scilicet, quum mihi nullum esset ab gloriae illecebris periculum. Ea mihi caussa fuit parce ac sordide victitandi, praeterea etiam ut peccata luerem, corpus afflictarem. Hoc sibi volebat squalor ille, huc paedor, frigus, tristitia spectabant. Nam in templis ne multus essem, egenis palam ne darem, cum caeteris ne urbanius agerem, haec eadem gloriae fuga efficiebat. At idem neminem dicto factove laesi, saepe etiam aliena convicia devoravi. Quas mihi calamitates aliorum non creavit perfidia? Egò neminem ultus sum. Stuporem vocetis, licet: patientia certe fuit. Humana enim omnia prorsus despiciebam, nec contentus esse poteram, dum vicissim plane despicerer. Assequutus sum, gaudeoque. Nam quod de fraudatis sororibus insimulas, nemo fraudat, nisi qui

debet: ego illis debebam nihil. Satis divites sunt ex testamento patris: quid quaerunt amplius? Sororis autem filiae, vere ut dicam, me cupiditas alienavit. Jampridem sciebam, non avunculum ab ea, sed avunculi pecuniam diligi. Denique habeo exempla bonorum, qui me tuear. Extremum vitae meae actum paullo tu quidem acerbius exagitasti; quasi vero referat, utrum vestitus, an nudus hoc iter suscipias. Quid? Paullus, vir sanctissimus, qui primus solitudines incoluit, nonne nudus est mortuus? at ego non me in solitudinem, sed solitudinem in aedes meas intuleram. Discite igitur, mortales, non ex imbecillitate vestra aliorum aestimare virtutem. Vides jam, mi Taliarche, quam immutata sit tota res, quae utinam ita se habeat. Interim illud manet, Staberium, ni sanctus fuerit, pessimum fuisse hominem, et ut ait de poeta Horatius noster:

Si paullum summo decessit, vergit ad imum.

Vale. Roboreti. Kal. Aug. MDCCLXXV.

13. TALIARCHO SUO S. P.

Ita me tuae litterae delectarunt, quas modo attulit Gargilius noster, ut statim ad rescribendum excitarint. Quod eo libentius facio, quia scio, id tibi nunc maxime rusticanti fore quam jucundissimum. Quid enim in isto secessu tuo potius facias, quam et aliena legas et nostra, si qua forte subitus impetus effuderit? Nam etsi plus utilitatis vel Aristotelis, vel Ciceronis scripta habeant, non minus certe voluptatis haec habere oportet, quae ab amico proficiscantur. At haec accepturus non eras, si hodie in scholasticorum praemiorum distributione cum caeteris moderatoribus adfuissem. Utrum igitur malles? jam enim congr essionis

nostrae, quae sane brevis fuisset, voluptas effluxisset omnis; quod contra has litteras saepius relegere licebit. Video, inquis, quid agas: ignaviam tuam commendare nobis postulas. Non hercle vero; et egregium te hominem judico, quod rure in urbem ad id spectaculum convolaris, praesertim a prandio. Siccine, inquis, numquam a satyra discedis? Numquam equidem, quando et ipse in tua epistola genus hoc probas; facerem enim injuriam judicio tuo, quod ego limatissimum judico. Recte igitur illud dixisti, me in eo, quod Staberii avaritiam exagitem, meam demonstrare liberalitatem; scitum est enim Plautinum verbum: *bonos quod oderint mali, sunt mali; malos quod oderint boni, bonos esse oportet.* Verum de Staberio quum cogito, non homo, sed monstrum quoddam hominis mihi occurrit ex contrariis pugnantibusque inter se rebus quasi conflatum Fuit enim idem et tenax, et contemptor pecuniae; aliena non adpetebat, nec tamen dabat sua; nihil cuiquam de vectigalibus remittebat; ipse non solvebat, nisi coactus; at jus aequumque semper in ore habebat. Interim nulla re movebatur; tristissimos quosque nuntios tranquillo vultu excipiebat; negabat, se quidquam curare, aut omnino flocci facere. Nam ad cultum quod attinet, quis illo parcior? quis sordidior squalidiorque? Idem tamen non optime audiebat. In hac autem vitae obscuritate, atque in his tenebris nec inerudite, nec absurde disserebat; legebat multum, scribebat assidue, annales scilicet quosdam leves atque ineptos, sed tamen ut exspers non esset litterarum. Nam caetera cognosces ex ea laudatione, quam a Caponio ejus collega exspectamus. Cur non ab haerede potius? is vero lacrimis impeditur. Quas tu noli, quaeso, ad gaudium referre, ne malignus videar. Sed mittamus Staberium, vel, ut inutilem civem, conceptis verbis dimittamus. Viderit de illo Dantes;

de Horatio, tu vero ne magna exspectes. Quem ego, simul ac quaedam de nuptiis atque exequiis veterum Clusolo isti poetae (1) expedivero, quae sane nullius laboris sunt, Horatium meum statim aggrediar, et paucula primum dabo. Quae si Metiis et Quintiliis nostris placuerint, ubi alia, quae magis instant, perfecero, ad propositum revertar. Videor enim, mihi crede, levitatis crimen effugere vix posse, nisi, et quae de Plinio parata, et quae de Gymnasio instituta jam habeo, aliquando absolvam. Nec tamen poenitet, quod plura simul sim complexus; nam cum varietas per se delectat, tum bellum est, si cujus operis satietas te forte ceperit, aliud in promptu habere, quod urgeas. Ita fit, ut modo haec, modo illa delibando, nec laborem sentias, et jucundissima voluptate afficiaris. Verum constantia opus est, qua ita singula velut in orbem percurras, ut ne quid plane relinquas. Porro aliud in hac re est commodum, quod scilicet et cogitandi et emendandi spatium datur. Dum enim hanc scriptionem intermittis, atque in illam te conjicis; et refrigeratur inventionis amor, qui emendationi obest plurimum, et, quum omnia litterarum genera cognatione quadam inter se contineantur, completur tibi animus multis rebus, quas in priorem scriptionem si illigaveris, haud paullo feceris illustriorem. Sed haec hactenus, ne me rhetorem ex satyrico factum dicas; nam hercle, ut nunc est, satyricus esse malo, quam ex hoc grege rhetorum diobolarium, qui tantum Ciceronis legerunt, quantum una hora recitari possit, atque id ipsum alibi, quam in Cicerone, qui praeter Virgilii, Horatii, vel Ovidii certos quosdam versiculos, reliquos poetas ita ignorant, ut ne nomina quidem teneant; qui siquid casu

(1) De quo habes Commentariolum in vol. VII. pag. 59.

olim inter legendum notarunt, id usque inculcant, et in eo sibi placent; qui denique quum bene artis praecepta ex cathedris crepuerunt, si latine, aut etiam nostra lingua scribendum sit, obmutescunt; si oratio facienda, aut poematium, benigni repente fiunt, ostiatim mendicant: ut ille, quem ridet Cornificius, qui quum acervos tritici se habere diceret, et eorum exemplum rogaretur, ipse a vicinis laciniam tenens paucula grana corrogabat. Vide, obsecro, quo evaserim, et quam verum sit illud, quod vos dialectici in ore habetis, *aliud ex alio*. Nam prorsus hodierni diei recordatio haec ex me elicuit. Observatur enim mihi ante oculos pompa ista scholastica, videorque videre et perorantem Caprium, et stupentes pueros, et circumfusos plausores. Te quoque mehercule intueor in media turba projectum, baculo innixum, obstipo capite, compressis labiis, conjectis luminibus, irridentem et miserantem. Quare haec omnia, mi Taliarche, sic ad me scribes, ut longissimae huic epistolae parem persolvas. Quod in isto otio, blandiente praesertim aquarum strepitu, ac rupium nemorumque prospectu, vel optime potes. Ego, ut etiam omnia ab imbribus madent, nondum ad matutinas illas ambulationes me contuli, sed ita conclusus vivo, ut aliquid scribam, lectitem plurima. Nunc quidem Jacomellii Prologos in Terentium prae manibus habebam, a quibus tamen nativus ille abest comici lepor, ut verba quidem eadem invenias, facilitatem et jucunditatem saepe desideres. Quo nomine Mureti Prologus in Phormionem numquam poterit laudari satis. Sed valeat Antonius Matanius, homo cerebrosus, qui quum istos Jacomellii Prologos ederet, ipse auctoris vitam, multasque praeterea epistolas e domesticis scriniis prolatas praeposuerit. Quae scripta primum ita verbosa atque inepta sunt, ut ferri non possint; deinde ita ex sexcentis

veterum locis consuta et coacervata, ut varium quiddam, diffluens, planeque inconditum exsistat. Quae quidem furta eo plus offensionis habent, quod si quando alienis Matanius sua miscet, ea ita obscura, implicata ac lutulenta sunt, ut caprimulgum aliquem, aut fossorem audire tibi videaris. Itaque ne sic quidem monere hunc licet, quemadmodum Celsum Albinovanum Horatius:

Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo;
Ne si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus ....

Numquam enim pejor est Matanius, quam quum furtum non facit. Ac ne putes, me his nugis dumtaxat oblectari, de belluarum animis tecum, si veneris, disputabo. Nam delectat me mirifice Philosophus quidam Gallus, qui animantium corporibus malos Genios a Deo inclusos fuisse docet; invita quidem matre mea, quae quum canem habeat in deliciis, nollet sibi persuaderi, se malo Genio uti hospite atque amico; at non invita, nec repugnante ratione, cui in maximis alioqui tenebris, quibus animantium natura obtegitur, haec opinio lucem adhibet non mediocrem; ac ne sacris quidem libris invitis, unde etiam pleraque sumuntur argumenta. Quod si tibi ridiculum videtur, hoc enim fere habent nova; advola, quaeso, ad me; jam te facile adducam, non id solum ut credas, sed etiam ut fatearis, quamdam esse animantium inter se linguam, eosque vicissim sermones serere. Quid ni? quum etiam Dorus noster loquatur, et nemo Eugenium vincat garrulitate. Haec quidem, ut vides, sunt aliquid; sed multo potiora ex me audies. Nunc enim manum de tabula: nam et coenae tempus est, et volumen jam habes, non epistolam. Vale. MDCCLXXV. de Iseriano.

14. VERANIO S.

Habes hic quam optabas Gothardi Festi magistri mei, qui proxime obiit, imagunculam non penicillo, sed calamo expressam, an adumbratam. Verum nosti quemadmodum et Suetonius soleat rethores illos suos et grammaticos pingere. Est enim ubi rem brevitas ipsa commendet. Vale.

Gothardus Festus Roboretanus, sacerdos, ingenio perbono et liberali fuit: ob id magistris a puero eximie carus, atque inter discipulos insignis. Mitiora studia amplexus, quum latinis ac thuscis litteris, multiplici eruditione instructus esset, ejus, quae nunc quoque viget, Sodalitatis Lentorum fundamenta in primis jecit (1). Ad docendam deinde grammaticen animum contulit, multosque privatim nobiles discipulos habuit. In quo ita se gessit, ut nemo ei posset comparari. Nam, et difficillima quaeque dilucide atque ingeniose enucleabat, et auctorum virtutes accurate monstrabat; quippe qui in latinorum scriptis praesertim historicorum (omnino enim historia delectabatur) apprime esset versatus. Nec minus ille tamen studiose thuscorum optimos legerat.

Quum aetate jam esset provectior, a domestica umbra in lucem translatus est, ac publice humaniores litteras in patrio Gymnasio tradere jussus. Quo in officio non mediocri civium dolore, qui optimum in eo cum praeceptorem, tum custodem juventutis amiserant, v. Idus Nov. anno MDCCLXXV. macie ac virium defectu consumptus est, quum annum ageret circiter unum et sexagesimum.

(1) Gothardi Festi non semel meminit Baptista Claramontius in libro, quem de Valeriani Vannettii vita conscripsit.

Hic, si meliori fortuna, qua dignus fuit, usus esset, ea erat solertia, ut in iis artibus, quae liberales vocantur, multum profecturus fuisse videatur. Nam et in poetica aliquid conabatur, ac certe bene sentiebat, et nonnullam ad picturam indolem praeferebat, et vero musicen usque eo callebat, ut doceret. De reliquo toto vitae suae cursu legendi studiosior, quam scribendi fuit. Atque ipsi lectioni operam dabat fere ambulans; nonnumquam et ludum litterarium in amoenam aliquam solitudinem transferebat.

Reliquit tamen nonnulla thusco sermone scripta, quae scilicet in Lentorum conventibus recitavit; in quibus summa quidem stili brevitas, ad quam erat natura factus, sed par etiam eminet elegantia, et eruditio, et judicium. Latine, quum vel optime posset, quam rarissime scripsit; nam illa ipsa, quae de latinarum complurium dictionum vi et usu in ludo dictabat, patrio sermone scripta sunt, cujus ita peritus erat, ut ante paucos, quam obiret, menses, Commentariolum sane pulchrum circa reconditiora quaedam ejus precepta, in discipulorum gratiam contexuerit.

Ceterum non doctrina in eo modo laudanda fuit, sed etiam probitas, et religio. Quod ego testimonium cum eo exploratius ei reddo, quod ipso et aliquando magistro, et deinde amico sum usus, tum eo libentius, quod summis ejus erga me meritis videor hac ipsa re aliqua ex parte respondere.

Statura fuit exiguae proxima, corpori graciliori, sed bene composito, recalvo capite, vultu honesto et grato, quem tamen extremis annis omnino macies deformarat.

15. AEMILIO RHETORI S.

Versus Phaedri in Fabula v. Libri v.

Sed in priore quia nil compererant, latens,

nequaquam est cum Heinsio, ut tu tuique collegae putabant, delendus, quum vel optime ita explicari possit, quemadmodum ego heri in schola dicebam. Sed rem a principio repetam. In his ludis, quos narrat Phaedrus, scurra quidam in scenam venerat, ac, demisso in sinum capite, sic porcelli vocem imitatus erat, ut spectatores verum subesse pallio arbitrati, ipsum excuti, juberent; quo facto quum repertum esset nihil, multis laudibus hominem ornarant. Tum rusticus, qui haec viderat, professus est, se idem melius postridie facturum, experiendi scilicet gratia, quam prave praepediti favori animi judicarent: etenim verum porcellum secum afferre constituerat. Quum igitur ad horam dictam ipse cum scurra prodiisset, atque hic maximo cum plausu prior digrunniisset,

. . . . simulans se se vestimentis rusticus
Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet,
Sed in priore quia nil compererant, latens,
Pervellit aurem vero, quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturae exprimit.

Hic ergo versiculus non modo non obscurus est, sed etiam maxime perspicuus, si quidem τό *latens* ad rusticum ipsum referatur, atque explicetur pro eo, quod est *tutus,* atque *a suspicione remotus. Simulans,* inquit, *rusticus porcellum obtegere, quod utique faciebat, sed latens, quia in priore nil compererant, pervellit* etc. hoc est dicere: *simulans rusticus porcellum sub veste habere, ut reipsa habebat, sed remotus a periculo, ne tale aliquid spectatores suspicarentur, propterea quod ante in scurra nihil compererant,*

ideoque putare debebant, *ne rusticum quidem quidquam celare*, *sed sua tantum voce scurrae imitationem aemulari*; *pervellit* etc. Totum ergo in eo est, ut quae sit hoc loco vocis *latens* vis et significatio, penitus intelligatur. Quod ubi erit intellectum, omnia protinus clara atque explicata videbuntur. Phaedrus alibi dixit: (L. IV. F. V.)

Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili praesidio latet.

hic quoque *latet* significat *tuta est*, quamquam in re dissimili. Sed satis est intelligi, alias Phaedrum hoc verbo translate usum esse. Quum igitur tam commoda, tamque apta explicatio sit in promptu, non video cur nos ipsi in angustias conjicere debeamus, referendo *latens* ad *nil*, quo posito, nullo modo hic versus cohaerere cum caeteris possit; nisi si malimus eorum interpretum impudentiae subscribere, qui quae enodare non possunt, expungi jubent. Verum, si sapimus, numquam istorum audaciam imitabimur, sed nec quorumdam futiles voces audiemus, qui sicubi in obscura, vel etiam depravata inciderint, confestim clamant, discuti tenebras non posse, aut, quasi de corrigenda gibba agatur, ita omnem emendandi spem abjiciunt. Habes meam sententiam, quam tibi etiam per litteras testificandi amoris mei gratia exponendam putavi. Vale IV. Id. Martias MDCCLXXVI.

16. GREGORIO FONTANAE S.

Miratus eram opus tuum hydrodinamicum accipiens, quid tibi in mentem venisset, id mihi mittere, homini vix geometriae sacris initiato: ut autem cognovi, eumdem librum et Todeschio et Tarquinio huic Saccensi, et Sybaritae etiam tuo, qui quum imula auricilla sit mollior, istam calculorum subtilitatem ne imaginari quidem sine vertigine ac

totius corpusculi horrore poterit, abs te missum esse; non solum admiratione omni, sed etiam verecundia, si quam ignorantiae mihi meae cogitatio attulerat, illico sum liberatus. Intellexi enim, nihil aliud te a nobis postulare, nisi ut officium tuum gratum acceptumque haberemur, atque ipsum librum apud nos servaremus, tamquam benevolentiae in nos tuae certissimum testem. Quae quidem res noli quaerere quanta me affecerit voluptate; nam etsi ex quo humanitatem tuam cognoscere coepi numquam dubitavi, quin mei etiam absentis aliquam esses memoriam servaturus; ita mihi tamen hoc facto animum tuum ostendisti, atque ita aperte declarasti, me a te in caeterorum amicorum tuorum numerum adscriptum esse, ut nihil fieri potuerit illustrius. Quamobrem gratias tibi ago, habeoque quam maximas, nec solum librum tuum diligentissime custodiam, verum etiam operam dabo, ut si illum in praesentia dumtaxat, ut amoris tui pignus in carissimis rebus habeo, aliquando etiam ut scientiae monimentum admirari possim. Nam ut in suo genere eximium credam, non tam Mantuanae Academiae, quae ipsum corona dignum censuit, judicio moveor, quam mehercule notitia ingenii tui, cui tantum tribuo, ut illam potius, si aliter judicasset, errasse existimarem, quam ab hoc non magnum et singulare aliquid profectum esse Quo magis Musis istis atque Gratiis, a quibus amari me tibi fingis, succenseo, quod ab iis nullo modo impetrare possum, ut tam praeclara cogitata non alieno sed meo ipse judicio ac sensu statim cognoscam et percipiam: ex quo fit, ut tantam sublimitatem quoniam idoneis laudibus non intellectam afficere nequeo, ipsa silentio cogar revereri. Finem igitur scribendi faciam, si illud te prius monuero, me duos homines nuper opportune nactum ex illorum grege, qui Assisiatem fuisse quovis

pignore contendunt barbatum, fasciculum cis quemdam tibi reddendum dedisse. Hi Mediolanum proficiscebantur, unde eum tibi se continuo missuros ajebant. Vale, vir clarissime, et me, ut facis, ama; nihil enim amicitia tua mihi optatius, nihil gloriosius. Roboreti IV. Non. Majas MDCCLXXVI. Mater tibi salutem dicit.

17. HIERONYMO TIRABOSCHIO S.

Cum perutile est tum vero multo jucundissimum in eorum notitiam gratiamque pervenire, qui ingenii et litterarum laude floreant, et quorum nomina jamdudum reverearis. Hujus ego voluptatis partem aliquam jam nunc degusto, quum video patefactum repente mihi esse ad te aditum. Nam ego te, ex quo historiam tuam litterariam, doctrinae atque acuminis plenam, legere coepi, tanti profecto facio, ut in eorum sane paucorum numero reponam, qui antiquam Italiae, bonarum artium parentis gloriam pro virili tuentur et sustinent. Quod ipsum judicium meum, quod postea semper de te habui, caussam mihi dedit non levis cum Thoma Serrano, controversiae. Cum enim ipsum per Franciscum Malfattum sobrinum meum, virum praestantissimum meique amantissimum, interrogassem, quid de iis sentiret quae abs te de hispanis latinis auctoribus, et praesertim de Martiale scripta essent; homo doctus ille quidem, sed et ipse hispanus, et natura fervius, et contrariae sententiae jam addictus, ut qui etiam justam Hispanorum suorum defensionem in manibus haberet, satis acres contra te litteras pro Martiale ad me dedit. Quod ego quum ferre non possem, omnes vires meas, quantulaecumque sunt, collegi, atque in id contuli, ut judicium de hoc poeta tuum quod mihi et verissimum et aequissimum videbatur, ab

illius censura vindicarem. Quo factum est, ut dum epistolam me scribere arbitror, crescente paullatim materia, libellus quidem subito exsisteret. Quae cum ita essent, numquam ego tamen adeo fuissem impudens, ut homo ignotus clarissimum te hominem litteris meis interpellare, atque eum ipsum libellum, quem sat scio, nulla re alia, quam veritatis defensione, ac tuarum laudum commemoratione, commendari, ad te mittere auderem, nisi me, ut id quamprimum facerem, et Malfattus et Alexander Georgius, qui pro amicitia nostra mearum rerum participes sunt omnium, non modo impulissent, verum etiam jussissent. Etenim Malfattus suis Georgiique viri doctissimi verbis ad me scripsit, te certiorem de mea lucubratione per litteras factum, petiisse, ut tibi ejus copia fiat. Quo nuntio ita equidem sum affectus, nihil ut me uno nec latius esse posset, nec erga sobrinum Georgiumque ardentius; illudque saepius adfirmavi, nihil mihi ex omnibus eorum in me officiis, quae plurima et maxima sunt, gratius jucundiusque accidisse, quam quod curassent ut aditum habere ad te possem. Amplector igitur quam avidissime tam praeclaram tam praeter spem mihi oblatam occasionem, eoque libentius scriptum meum ad te mitto, quod eadem opera et postulationi tuae satisfacio, et meis ipse votis commodisque inservio, nec tamen vereri debeo, ne in arrogantiae notam incurram. Utinam vero tibi, quoniam caussam ipsam certe probas, ratio haec atque via, qua sum in caussa defendenda usus, non omnino improbaretur. Sed quando longius ac bene sciteque scribendi laude abesse me intelligo, quam ut aliquid tale sperare possim; restat ut te orem, ut, si nihil aliud, at studium in te meum voluntatemque et probes, et gratam acceptamque habeas. Id si feceris, confirmo tibi, me satis magnum laboris mei fructum percepisse arbitraturum.

Fac valeas, vir doctissime, meritoque Muratorii locum sortite et egregio iste opere, quod affectum jam habes, ad exitum adducendo, Italiae decori, immortalitati tuae, omnium utilitati prospicias. Roboreti An. MDCCLXXVI. VI. Kal. Junias.

18. JACOBO PIZZINIO S.

Noli mirari, quod tam sero responsum accipias ad eas litteras, quibus Sodalitati nostrae gratias egisti; quum enim illae perlatae ad eam sunt, scriba ab epistolis se eo munere abdicarat, neque etiam quisquam suffectus fuerat. Proximo autem Coetu, qui fuit ad d. XII. Kál. Junias ea provincia mihi est data. Quam ut accepi, nihil equidem mihi prius faciendum putavi, quam ut humanissimis tuis litteris communi nomine responderem. Sic igitur habe, quidquid in te honoris ab sodalibus sit collatum, id non uni spei de te conceptae, ut tu scribis, sed multo magis virtuti illi atque doctrinae, quae in te jam est, et a qua demum major in dies excitatur expectatio, tributum esse. Quo tamen dicto Sodalitatis judicium testificari volo, non resistere pudori et verecundiae tuae, quam etiam laudo amplectorque, ut eximiae ad omnem laudem indolis argumentum. Tu modo perge, ut facis, tum sacra ista studia, quae te in amplissima ac nobilissima urbe sub ipsius Caesaris oculis jam illustrarunt, tum optimas quasque litteras diligenter excolere; illudque infixum animo tuo semper habe, abs te, quum domum redieris et patriam, quae te diu docuit, caritatis, et sodalitatem, quae te sibi adjunxit, judicii studiique sui fructus optimo jure repetituras. Ad id ergo te para, in hoc elabora, ut satisfacias. Erit id civibus ac sociis gratum, gloriosum tibi, jucundum amicis atque

affinibus tuis. Quae quidem ego nisi his ipsis affinitatis et amicitiae vinculis tibi conjunctus essem, non scripsissem tam familiariter ad te. Sed nimirum declarare tibi volui, me dulcissimae illius necessitudinis, quae tibi, dum hic e-ras, mecum fuit, non modo memoriam conservare, sed et-iam jura retinere; tantamque cum locorum longinquita-tem, tum temporis silentiique diuturnitatem, amorem illum meum, quo te jam inde a puero unice amavi, nulla ex par-te restinguere potuisse. Quare quum satis jam multa ex ea persona scripserim, quam mihi imposuit Sodalitas, quae officium tuum mire gratum acceptumque habuit, illud meo nomine adjungam, me cum tibi gratulari, quod uberes tuo-rum laborum ac vigiliarum fructus, qui in solida veraque laude positi sunt, jam capere incipias; tum mihi gaudere, quod te, quo aliquando in studiis condiscipulo sum usus, nunc etiam in hac litteraria quasi republica socium habeam, quodque hoc ipsum scribendarum epistolarum munus sta-tim ab initio caussam mihi attulerit tecum longo interval-lo colloquendi, nostraeque perveteris necessitudinis reno-vandae. Hoc mihi optatius accidere nihil potuit. Cura ut valeas. Roboreti Prid. Non. Jun. MDCCLXXVI.

19. ALEXANDRO GEORGIO S.

Nihil necesse nunc arbitror tibi excusare tarditatem litterarum mearum, quum et Malfattum, cui mandaram, id meis verbis praestitisse putem, et tu ipse ita sis occupatus, ut nihil minus, quam has nugas desiderare debeas. Itaque te mihi vel facillime spero jam ignovisse, quod non citius tibi molestus fuerim. De epistola illa, qua recentem latini-tatem defendi, ea tu quidem scripsisti, quae mihi non mo-do grata, sed etiam jucunda essent, meque ad urgendum

strenue propositum mirifice confirmarent. Hoc autem erat imprimis, cur te mecum ex animo loqui crederem, quod sensum mihi tuum in utramque partem aperiebas. Nam quod timebas, ne te, quem tot occupationes premunt, iterum in aciem prodire cogerem; ego vero non modo non cogo, sed etiam, siquid juris in te mihi dat amicitia, prohibeo. Neque tua magis id quidem caussa, quam mea; jam enim intelligo, quid periculi sit tuam istam subtilitatem lacessere. Quid multa? verissime Malfattus ad me scripsit, fore, ut ne Carneades quidem, si revivisceret, jactare se tecum suo more posset. Orationem tuam et ipse non semel legi, et Clementi quoque Baronio viro clarissimo (1) legendam dedi. Quid tibi ego dicam? etenim ipse intelligis, propositi tui amplitudinem nullius laudibus egere. Nam quod id ipsum eo nomine in quorumdam incidit reprehensionem, quod undique jam scientiarum atque artium commentaria, nescio quae, erumpant, quibus ignavia et impudentia maxime foveantur; nae tu istorum sermonem tribus capitibus, brevibus illis quidem, sed succi roborisque plenis egregie retudisti. Quem scopulum praetervectus, cum caetera, quae ad rem ipsam ejusque oeconomiam atque instrumenta pertinent, et acute consideras, et in certas classes apte partiris; tum socios tuos, quomodo quidque agant, planissime ac providentissime doces. Qua tota in oratione duo imprimis eminent, sincerus religionis amor, et studium patrii sermonis augendi: quorum hoc etiam in Gallis fuit, illud fortasse defuit, utrumque summa laude dignum est. Quare noli, quaeso, istorum voces audire, qui quum te a pulcherrimo facinore

(1) Clemens Baronius Roboretanus, patriae Academiae censor perpetuus, philosophus, criticus et historicus egregius. De eo Carolus Rosminius, et ipse Roboretanus, vir clarissimus, edidit Commentarium.

deterrere volunt, suum ipsi vel parvum, vel pravum animum produnt. Etenim aut inepti sunt, aut tuti nimium timidique procellae humi serpunt, aut certe tibi invident. Quos tu, quasi molestos aliquos graculos, dimitte, et quae meditata, descripta, constituta jam habes, ea ut ad effectum adducas, omni studio incumbe. Communicabitur enim, te auctore atque duce, cum universa Italia maximi post hominum memoriam operis utilitas; eademque opera et ipsa Εγκυκλοπαιδεια (id quod Gallorum tot laboribus non est effectum) ad unguem expolietur, emendabitur, perficietur; et nostra lingua, caeteris rebus nulli inferior, lectissima vocabulorum ad scientias artesque pertinentium copia locupletabitur. Tu autem, mi Alexander, princeps societatis ac totius rei architectus, quibus laudibus non ornaberis? quam opinionem, quam famam non assequere? id tu fortasse contemnis, et sapienter quidem; sed tamen et magnum commodum atque ornamentum Italiae afferes, et nomen quoque tuum in perpetuum ab interitu vindicabis. Quare perge, atque istum porro animum retine, tibique persuade, nihil omnino esse, in quo curas, studia, labores ac vires tuas vel utilius possis, vel gloriosius collocare. Vale, ac Malfattum et Serranum saluta, quem videre mihi videor cum Martiali suo sedentem, torvis oculis meas litteras relegentem citatimque contra me plurima scriptitantem. Nec enim arbitror, eum, quo est animi fervore, pigritiam meam imitaturum. Vale iterum. XIII. Kal. Julias MDCCLXXVI.

20. GREGORIO FONTANAE S.

Et tuas litteras jampridem, et proxime librum accepi. Grata mihi sunt officia in me tua; utinam non modo grata, sed et jucunda essent munera, ex quibus ut minimum

capiam voluptatis, facit imperitia mea. Sed fortasse non semper iidem erimus. Nunc quidem vix tui operis limen intrare mihi licuit, sumque continuo ignota quadam vi repulsus, quum vox illa mihi ad aures sonaret: *Odi profanum vulgus, et arceo.* Neque tamen videre non potui, quam etiam in mathematica ista severitate, et quasi tristitia sis elegans et disertus. Ac scio, me laudare id, quod in tuo libro est plane minimum; sed si hoc ipsum tantum est, quae proprie rem continent, ea quanta erunt? Sed ad tuas litteras, valetudo mihi tua curam, ut par fuit, attulit; quare non destiti e fratre tuo de te quaerere, donec cognovi, meliorem esse, praesertim ex quo equitatione utereris. Cura te igitur diligenter ac tantisper, dum te plane confirmaris, subtiliora ista studia, quae summam animi contentionem requirunt, intermitte atque interim, ne nihil agas, oblecta te potius amoenioribus his litteris, in quibus ita excellis, ut si in eas dumtaxat incubueris. Vides, ut te ad mei libelli (1) lectionem sensim attrahere coner? Etsi quid ista? Ea est enim profecto humanitas in me tua, ut dubitare non possim, quin et lecturus sis librum, praesertim tam exiguum, et de eo me vere et candide perscripturus. Serranum scio jam respondisse, atque adeo utramque epistolam et meam et suam edere in vulgus velle. Quo magis mea interest nosse judicium tuum. Si enim improbaris, ero posthac cautior; si probaris, alacrior fiam. Fac valeas, meque mutuo ames. De suburbano. VI. Id. Jul. MDCCLXXVI.

(1) Epistolae de Martialis poesi, quam ad eum calamo exaratam miserat. Vide Vol. VII. pag. 125.

Profecto ita est, ut saepe coram tibi dixi: Graserius noster eo ingenio natus est, ut si plus operae stilo et declamationi dedisset, ac non totos aliquando menses, ne dicam annos, cessavisset, summos oratores fuerit arte et copia aemulaturus. Sed nimirum, ut ait Cicero de nescio quo, plus facultatis ad dicendum habuit, quam voluntatis; itaque quantum imminuit de studio atque industria, tantum sibi de laude gloriaque detraxit. In quo licet mortalium perversitatem detestari, quorum ingeniosissimus quisque fere est pigerrimus; multoque plures historia numerat, qui ad aliquam laudem labore pervenerint, quam qui ingenio. Qui enim non ita acuti sunt, improbis sudoribus ac vigiliis conantur ingenii damna sarcire; qui vero acumine pollent, quum eo confisi nihil fere studii addant, brevi evanescunt. Non quaeres, mi Marcelle, quorsum haec dixerim, quum scias, me heri accepisse quamdam Graserii oratiunculam. Hanc enim quum legerem vel potius vorarem, non potui non admirari hominis acumen atque artem, simulque pigritiam ejus accusare, qui quum tantum possit, tam nihil velit. Tota oratio hoc habet propositum, ut eorum malorum, quae lingua parit, maximum esse assentationem ostendat. Aliam autem prius scripserat, qua probabat, nullum linguae peccatum esse aeque perniciosum, atque obtrectationem. Hac igitur posteriore oratione oppugnat atque evertit id, quod priore confirmarat; sic tamen, ut maneat, obtrectationem quoque magnum esse malum. Argumentum, ut vides, pulchrum est atque utile; sed adeo copiose, tantaque et rationum firmitate, et artis subtilitate a Graserio tractatur, ut facile dixerim, materiam opere superari. Itaque tibi polliceor, te, quum tuis ipse oculis eam scriptionem

percurres, magna voluptate perfusum iri. Hactenus scripseram, antequam tuas acciperem litteras: nunc video, me iis magna ex parte imprudentem respondisse. Mitto autem quae petis dicta, sive quo alio vocabulo adpellare mavis, e thusco sermone, experiendi gratia, his diebus a me translata ad similitudinem eorum, quae Quintilianus et Macrobius retulerunt. Sed satis sit semel expertum esse. Vale. v. Idus Augusti MDCCCXXVI. de Iseriano.

» Quum quidam luscus puellam, quam virginem putabat, nec erat, uxorem duxisset, eam quotidie flagitii sui arguebat. Pertaesa tandem querelarum mulier; *quid tu*, inquit, *integram habere postulabas, qui ipse altero oculo careres?* Marito vero respondente, inimicorum opera id sibi factum esse; *at pol mihi quidem*, subjecit mulier, *amicorum.*

» Cuidam uxorem demersam adverso flumine quaerenti, quum amicus miratus suaderet, ut eam secundo flumine quaereret: *erras perverse*, inquit ille; *nam quae viva omnibus adversari consueverit; hanc tu mortuam secundo flumine putas nataturam.*

» Quum adolescens, genere nobilis, eximia forma puellam, quam perdite amabat, precibus ac blanditiis saepius sollicitasset, ab eaque id tandem responsi tulisset: *scito, te alteram Lucretiam invenisse; tu vero*, inquit, *pariter experire: faxo, alterum Tarquinium cognoscas.*

» Alphonsus Neapolitanorum rex fugientem metu hostium militem conspicatus, rogavit, quo fugeret. Cui quum ille exterritus respondisset, se umbram quaerere; illudans rex imbelliam socordiamque hominis, cauponam monstravit; atque *en*, inquit, *umbram, quam quaeris.*

» Questa erat uxor apud virum, quod, eo absente, filius sibi pugnum impegisset, acriterque instabat, ut in ipsum severe animadverteret. Tum pater adolescentem

complexus osculatusque: *Euge*, inquit, *fili mi; jam scio te meum esse.*

» Adolescens quidam, matre nuper mortua, quum ad aedes amicae mula phaleris sericis strata deveheretur, occurrens amicus; *ecquid te pudet*, inquit, *sericata uti mula, qui modo matrem extuleris?* cui ille: *ignosce, quaeso; nam nesciebam, hanc matri meae cognatam esse.*

» Quodam Mediolanensis ducis legato Florentiae commorante, Laurentius Medices, qui tunc temporis rerum potiebatur, ut jucundo aliquo spectaculo ipsum detineret, eximii ingenii quinquennem puerum induxit, cujus dicta factaque supra aetatem erant. Qui postquam cunctis admirationi fuerat, Laurentius quaesivit de legato, quidnam sibi videretur. Cui ille: laudo equidem, nisi quod metuo, ne talis puer, ubi adoleverit, hebescat; ingeniosa enim pueritia stolidam portendunt adolescentiam. Quibus auditis, puer se ad legatum extemplo convertit, et: *certe*, inquit, *pater, oportet te mirifico ingenio a puero fuisse.*

22. ALEXANDRO GEORGIO S.

Duas epistolas proxime abs te accepi, alteram quum adhuc Malfattus mecum esset, alteram postridie ejus discessum, quo quidem ita sum afflictus, ut lacrymas non tenuerim. Et tamen illud mihi in maximo dolore solatio erat, quod cogitabam, eum ad te venire, sperabamque fore, ut imaginem tuam quamprimum mihi describendam curaret. Quamobrem noli mihi, mi Georgi, adversari. Quod enim negas, eum esse te, cujus imagines conquiri debeant, primum istuc ipsum tui judicii non est, deinde, ut mortalium doctissimus non sis, certe mihi es amicus: quae una caussa, etiamsi doctrinae opinio non accedat, quae accedit

scilicet, satis magna est, cur imaginem tuam tantopere desiderem. At me jubes exspectare saltem dum Εγκυκλοπαιδεια edatur: tu vero vide, ne isto modo etiam Malfatti desperationem confirmes. Quod si te statim describendum praebueris, ostendes profecto, nullum tibi esse de rei exitu dubium. Quid si, inquis, non edetur? quid? an non magnum est vel tentasse? nonne qui tuam imaginem adspicient, sic quoque dicent, hic ille est, qui maxima designavit, si fortuna adspirasset? Vel tuum consilium, mihi crede, immortalis laus consequetur. Nam quod Malfattus te imprimis ad hoc impulit, idemque in praesentia desperat, in altero more suo jocatus est, alterum serio facit. Quid enim? non ne ubi tecum ad ignem sedit, novas litteratorum societates designat, novas respublicas ordinat, novum denique orbem sibi fingit? haec autem omnia nonne ita explicat, ut si mox effecturus esset? nonne eo vultu, qui verus videatur? Quid multa? gaudet, gloriatur, litigat, vel Clivio illi anglorum ditissimo, tamquam haeres scriptus, mortem precatur. Et tamen nihil horum serio. Hunc tu igitur ex animo suasisse tibi illam rem putas? Verum haec hactenus. Quod ad Montium scripsisti, gratum est. Nam de hujus singulari ad poesim indole saepe apud me praedicare solebat Sobrinus meus, cui etiam diploma dedi, quo illum meo nomine impertiat. Dedi autem et fasciculum ad Tiraboschium, in quo erat diploma cum litteris, et nostris illis de latino sermone disputationibus; ardeo enim cupiditate incredibili hujus quoque tam docti hominis sententiam cognoscendi. Legi tuas inchoatas ad me litteras, plenas, ita vivam, elegantiae, de quibus valde te amo. Nunc accipe vicissim Bononiensesq illas meas, quibus tamen et carere te facile patiebar, et vero posse arbitrabar. Vides mi Georgi, ut tuas clausulas imitari coner? Sed frustra, qui tantum

ab ista concinnitate absim, ut assequendi spes nulla sit. De reliquo, velim scias, a. d. xv. Kal. Nov. prandenti mihi redditum esse unum libelli mei exemplum sine ullis litteris, tantum mihi inscriptum ignoto chirographo, meque adhuc nescire, vel a quo, vel per quem. Suspicabar autem, a te missum esse. Sed epistola tua fecit, ut multo incertior essem, quam antea. Quidquid sit, quo vultu librum exceperim, conjicere potes etiam me tacente. Non enim hospitem aliquem, sed filiolum longo intervallo redeuntem cernere mihi sum visus. Magnam autem cepi animo voluptatem, postquam illum ab unguiculo ad capillum summum tersum atque expolitum vidi, multoque nitidiori veste et cultu, quam dimiseram. Itaque (ignosces patrio amori) suavissime sum ipsum osculatus, et tamquam intellecturus esset, gratias tibi apud eum egi singulares, atque, ut tibi acceptum ferret, quod viveret, quod eruditos cocius adire posset, quod denique celebraretur, admonui. Sed satis nugarum. Mater mea salutem tibi refert quam cumulatissime. Puellis tuis (vides me *ferrissare*) in quibus miram esse festivitatem atque auream indolem e Malfatti mei praedicatione jampridem cognovi, et gratias ages pro salute humanissime mihi missa, et meis verbis suavium dabis. Hanc epistolam te in urbe accepturum ex litteris tuis conjicio. Bono animo esto, mi Georgi; jamjam enim aderit et Malfattus, quem hodie Ala profectum esse audiebam. Itaque licebit vobis revocare pristinam consuetudinem pristinosque jocos, et illas ad focum quantivis pretii sessiones, in quibus omnia vestro arbitratu mutatis et constituitis, uno verbo, sapienter insanitis. Unum a vobis peto, ut quum una hallucinamini, mei mentionem interdum faciatis, meque id ipsum cum maxime cogitare laetarique existimetis. Tu etiam frequenter ejusmodi litteras ad me mitte, quae non

solum amanter, sed etiam amatorie scriptae sint; scio enim te, ex quo Russoji Juliam legisti, multum ex illa Jesuitarum duritie remisisse. Vale XI. Kal. Nov. MDCCLXXVI. de Iseriano.

23. FRANCISCO CANCELLERIO S. P.

Alexandro Georgio, viro doctissimo, meique amantissimo acceptum refero, quod meum illum Libellum, quem de Martiale contra Serranum scripsi, et humaniter ipse exceperis, et ut publice etiam collaudaretur, operam dederis. Quam quidem laudationem etsi in magni honoris loco pono, utpote quae ab ea urbe proficiscatur, in qua domicilium latinarum litterarum semper fuerit, nihilo tamen minoris facio judicium tuum, quod idem Georgius ad me perscripsit. Etenim quae tua sit et quam singularis, cum ceterarum rerum, tum praesertim latini sermonis facultas, non modo fama et auditione accepi, verum ipse e tuis illis in Livii Fragmentum scriptis jampridem cognovi. Nunc autem tua ista et doctrina et humanitate impulsus, scribere ad te constitui, tum ut gratias tibi, ut par est, agam, tum etiam ut quadam de re sententiam tuam exquiram. Quum enim Roboretani Gymnasium, quod angustius fuerat aedificatum, restaurari ampliarique curaverint, inscriptionem in eo ponendam censent, ex qua cognoscatur, et quis illud primus condiderit, et quis deinde inclinatas ejus res sustinuerit, et quorum jussu sit proxime refectum. Quum autem datum mihi fuerit negotium, ut hanc inscriptionem conficerem, duas in eamdem rationem exaravi, quo utramlibet eligere possent. Sed quoniam video super delectu non consentiri, simul etiam intelligo, nec me esse in hoc genere exercitatum, et ubi de ejusmodi monumentis, quae ad

memoriam aeternitatis pertinent, agatur, magnam adhibendam esse curam, et diligentiam, utriusque inscriptionis exemplum ad te mitto, teque majorem in modum rogo atque obsecro, ut et ipse ambas diligenter consideres, et aliis etiam, quos harum rerum peritissimos noveris, excutiendas proponas: tum utra magis probetur, et quid tamen in ea ipsa mutandum videatur, ad me perscribas. Hoc ego pluribus verbis a te peterem, nisi recordarer sermonem illum, quem de te nuper mecum habuit Malfattus noster, quum ruri apud me esset; qui ea profecto de tua prolixa beniguaque natura, deque tuis suavissimis moribus praedicavit, quae me ad tui amorem mirabiliter invitarent. Missas igitur facio preces, quas humanitas tua non desiderat, ac tantum illud tibi affirmo, hanc rem si feceris, me summo beneficio abs te affectum esse putaturum. Vale. Roboreti. IX. Kal. Decembris. MDCCLXXVI.

24. HIERONYMO FERRIO S. D.

Litteras tuas postridie Idus Novembris datas heri demum cum libelli mei (1) exemplaribus accepi; quas ego quum legerem, ea laetitia sum affectus, quam nullis verbis exprimere satis possim. Cum enim ab quovis homine laudari jucundum est, tum vero laudari ab eo, qui ipse laude dignissimus sit, id multo est jucundissimum. Quare scito, me sic existimare, testimonio isto, quod ultro abs te libello meo est redditum, nihil mihi accidere potuisse honorificentius. Nam quod rebare, futurum, ut Serranus non acquiesceret, optime conjiciebas; etenim homo praefervidus putabat, existimationem suam in discrimen venire,

(1) De Martialis poesi.

nisi statim, ut meam epistolam accepisset, aliam ipse verbosiorem regereret. Quod illum fecisse, quum haec scriberem, non arbitrabar, te ignorare. Nunc igitur quando meum librum et legisti jam, et probasti; lege, quaeso, etiam Serrani, ac deinde quid tibi videatur, pro tua humanitate, nostraque amicitia sincere ad me scribe. Equidem, remota omni cupiditate, sic judico, eos demum Serrani oratione capi posse, qui nostras rationes non satis cognitas perceptasque habeant. Qui enim libellum meum attente considerarint, ii facile intelligent, adversarium non recte sensum meum adsequi, sed ab eo modo longius aberrare, nunc propius, numquam plane rem attingere. Inde fit, ut principiis temere positis, etiam caetera corruant. Ad haec haud raro ex suis ipsius propositis non bene colligit, minus etiam diligenter distinguit; laborat nonnumquam ab ordine et perspicuitate, omnemque orationem ambiguitatibus et cavillationibus implicat. Solet praeterea quaedam, quae ipsi vel ultro concedo, summo studio confirmare, quum interim quas propono exceptiones, refutare non curet. Egreditur quam saepissime e via, inculcandae eruditionis, et suorum epigrammatum includendorum gratia. Interdum vero risum movet, quum probandae alicujus rei studio in absurda usque delabitur. Et sane, quis sibi a risu temperare possit ad eum locum, ubi quum elegantem esse Catullum inficiari nequeat, ipsam elegantiam in contemptum adducere conatur, eamque cum externo cultu mollitieque confundit? vel ad eum, ubi me irridet, quod falsas e poetis sententias sublatas velim, quum ego hanc falsitatem ad sophismata referam, ipse ad fictiones? itemque ad eum, ubi, quum ego dixissem, librorum conservationem ad temporum vicissitudines pertinere, Epicuri de grege porcum me habet, qui per omnia

casum dominari credam? Vides, opinor, quemadmodum Serranus verborum vim notionesque perturbet, totamque epistolam misere ambagibus obscuret. At ille etiam difficiles epistolae meae locos vel callide transilit, vel certe leviter tangit. Itaque nec Plinii testimonium vicissim expendit, nec suos illos quadraginta Martialis imitatores nominatim recenset, nec meum de Sannazario judicium accurate refellit, neo Martialis epigrammata, quae ego censoria virgula notarim, defendere audet, nec insignibus illis Mureti, Gravinae et Quadrii locis immoratur. Tantum Legem Juliam de jocis in ambiguo positis, quae est apud Tullium, acriter tuetur, et ipse etiam novam quamdam Valeriam de epigrammate rogat. Quasi vero umquam dixerim, ipsum ambiguum per se, etiamsi absit sophisma, esse repudiandum. De reliquo, adversarium habeo ego quidem valde urbanum, quin immo existimationis meae studiosissimum: utinam idem lactari posset Tiraboschius noster, qui ab eo ferventissime concerplitur; quod mihi profecto est quam molestissimum. Sed quorsum ista? aut quid ego judicium tibi praeripio? Finem igitur faciam, magisque tuas litteras exspectabo: tantum hoc addam, me nihil de respondendo cogitare, quum sic persuasum habeam, magnam esse veritatis vim atque lucem, eamque in non caecorum oculos per se jam incursuram. Vale, mi doctissime Ferri, et Vannettium tuum ama, quod mutuo facies. Pridie Non. Decembris MDCCLXXVI. Roboreti.

25. COSTANTINO LAURENTIO S.

Velim scire, quae ista tua fuerint philosophica somnia: numquid tibi in Academiae spatiis versari visus es? numquid Peripateticis immixtus deambulare? an Socratis? num Platonis, an Aristotelis species tibi est oblata? sat enim

scio, te Pythagoram, hominem herbaticum, non somniasse. Obsecro te, si quem illorum vidisti, scribe ad me, qua facie fuerit, quo amictu, quid boni tibi dixerit. Legi nuper in laudatione Marci Aurelii somnium quoddam, quod ei evenisse fingit Thomasius; quo quidem somnio nihil pulchrius concipi animo potest. Vidit enim Aurelius maximos quosque ex omni memoria philosophos in atrio amplissimo versantes quorum quisque ea faciebat, quae in ipsius vita fuerant gloriosissima, moxque ad Imperatorem accedens, praecepta de regendis populis dabat. Nunc ergo scitum fuerit, quae de Marco Aurelio ad augendam ejus dignitatem finguntur, ea tibi, vel non dissimilia reipsa accidisse. De reliquo, perge porro, ut instituisti. Zanotti epistolas, statim ut Pollius (1) redierit, ab eo pete: sum enim avidissimus. Salutem a me dices Marco Ludrinio (2), familiaribus etiam et meo, et matris, Malfattique hospitis (3) nomine. Vale. Pridie. Idus Decembris. MDCCLXXVI.

26. ALEXANDRO GEORGIO SUO S.

O jucundam epistolam tuam, quae tantum mihi hilaritatis, et cachinnorum tam praeter exspectationem attulit! Quî enim temperare mihi ab risu possem, quum hispanas illas litteras legerem adeo vehementer atque acerbe in

(1) Petrus Pollius Roboretanus, sacerdos, vir optimus, ac rerum ad Dei animorumque naturam pertinentium scientia singularis, qui in Lyceo Tusculano ingeniis excolendis dat operam.

(2) M. Ludrinius Veronensis, sacerdos, cujus honestissima semper erit apud Roboretanos memoria, tamquam hominis egregie litterati, et in juventute ad omnem disciplinam instituenda excellentis, de Lentorum etiam Sodalitate optime meriti.

(3) Joh. Franciscus Malfattus Alensis, mathematicus clarissimus, idemque elegantissimus et homo et scriptor.

Serranum scriptas? Itaque conjecturam tuam improbare nequeo de Goveo isto Balearico; etenim statuo, tales litteras non potuisse scribi, nisi ab eo, qui esset suo nomine Serrano infensus. Nam et liber ejus, et studia, moresque ipsi ita mehercule lacerantur, ut modum desiderem. Nec tamen si summam spectes, non vera loquitur Balearicus, aut quisquis est alius; qui etiam iis sententiis, eoque stilo scribit, unde doctum hominem facile agnoscas. Nam quod Tiraboschius tantillum hoc laboris refugit, ut has litteras per ephemeridem quampiam vulgaret, non facile adducor, ut credam, ignavia potius id fecisse, quam singulari quadam animi aequitate, qua noluit adversarium eo testimonio ulcisci, quod quum ab Hispano tantum non publice scriptum esset, intelligebat, ipsi fore quam probrosissimum. Ego autem ob id ipsum, quia Tiraboschii virtutem admiror, gloriam quam acerrime tueri cupio. Ecce autem, quum haec scriberem, reddita sunt mihi quae misisti et Serranianae epistolae, et tui de arte grammatica libri exemplaria salva atque integra, simulque Montii poematium, quod visum inscribit. Ac tui quidem operis exempla, tantum quod accepi, tria statim vendidi, ac etiam reliqua brevi me distracturum sperabam. Feci enim te apud meos cives deum. In Serrani libro extrudendo plus erit negotii, nec tamen plurimum; nam nostri homines vel quod mihi, ut fit, obtrectant, vel quod hispano nomine commoventur, praeclara quaedam se putant in eo libro reperturos, et quae meam illam epistolam, de qua tantopere, ut Serranus quidem dicit, mihi placeo, ineptam ac puerilem ostendant. Ego autem id ipsum adeo non timeo, ut Serrani librum idcirco in istorum manus pervenire cupiam, quia spero fore, ut, eo perlecto, omni errore liberentur. Sed exspectas aliquid de Montiano poematio. Equidem illud et legi statim avidissime,

et vehementissime probavi. Multae insunt cum rei convenientes, tum perillustres imagines; multa verborum et sententiarum ornamenta; ipsaque inventio ita magnifica ac sublimis est, ut numine afflatorum visiones imitetur, in obscuritatem non incurrat. De Ferdinandi Austriaci in te studio (jam enim ad litteras redeo) majorem in modum tibi gratulor; sed quaeso, ne ita laetitia exsultes, ut dictis me obruas, quod initio nonnihil de successu dubitarim; hanc enim culpam tua ipsius magnanimitas sustinet, qui majora facere instituis, quam alii fieri posse arbitrentur. Nunc autem ita certum exploratumque habeo, inceptum vestrum de encyclio doctrinarum omnium in unum corpus colligendo ad exitum felicissime perductum iri, ut non magis certum exploratumque habeam, latinam linguam recentem, numero, proprietate, ambitu esse veteri quam simillimam (1). Haec tibi proximas meas litteras in memoriam revocabunt, quibus ut diligenter respondeas, etiam atque etiam te rogo. Equidem sic nihil exspecto, quomodo judicium tuum de Hieronymi laudatione (2). Salutem dices Malfatto et pigerrimo et suavissimo, itemque discipulis tuis, quos jam et in scena excellere audio, ut qui te alterum modo Tullium putabam, suspicari cogar, esse etiam alterum Roscium. Vale. XVII. Kal. Febr. MDCCLXXVII.

(1) Repungit jocose amicum, qui negabat, latinam linguam cum Quiritibus extinctam in nostra potestate jam esse. Vide utriusque de ea re epistolas, quae senis exierunt eodem illo anno MDCCLXXIX.

(2) Vide Vol. VII. pag. 47.

Unde principium sumam, aut quid primum tibi gratuler, nescio; ita multa hodiernae tuae litterae grata atque jucunda mihi attulerunt. Quod si hoc unum ex iis cognovissem, te omni morbo esse liberatum, tamen summa mea exstitisset laetitia; quid vero nunc dicam, aut quam putas ad eam factam esse accessionem, quum et audivi multo illustriorem personam tibi esse in ista Academia impositam, quam qualem antea sustinueras (1), et orationem etiam, quae id testaretur, accepi? Quam quidem eo avidius confestim percurri, quod tuorum scriptorum nihil jamdudum legeram; itaque majore desiderio vel potius siti quadam tenebar. Est autem, meo judicio, gravis, docta et praeclara; nec tamen facile dixerim, utrum eruditionis in eo genere ubertatem, an rationum, quibus proposita demonstras, vim et subtilitatem magis sim admiratus. Quid multa? ita in ejus argumenti tractatione versatus es (2), ut ad hujusmodi studia nequaquam nunc primum te serio contulisse, sed in iis omnem aetatem consumpsisse videaris. Haec mea est sententia, nec, quamvis divinarum rerum scientiae numquam operam dederim, in eo falli me arbitror, quod ita sentiam; est enim omnibus scientiis et artibus perfectum quiddam et excellens, quod agnoscitur etiam ab iis, qui earum imperiti sunt. Quid igitur, inquis? nihil est in illa oratione, quod reprehendas? nihil, in quo a me dissentias?

(1) Delegatum fuerat Graserio munus enarrandae in Oenipontano Lyceo ex Patrum Sanctorum scriptis divinae scientiae.

(2) Argumentum erat ejusmodi: *De SS. Patrum eruditionis nexu cum theologia, jure canonico, morum doctrina ac sacra eloquentia.*

immo est aliquid in verbis, quod probare non plane possum; desidero enim alicubi majorem curam proprietatis et elegantiae, a qua fortasse prava theologorum consuetudo te abduxit. Quid in rebus? Equidem nescio, an dicendum sit; sed dicam tamen, fretus humanitate tua. Quod veram eloquentiam ex Ecclesiae Patribus disci contendis, id enimvero concoquere non possum. Nam et Cypriani dicendi genus paullo putidius mihi quidem videtur, et Leonis aequo elatius ac turgidius, et Augustini spinosum atque implicatum, et Hieronymi inaequale et declamatorium; quem quidem ab angelis verberatum, non quod Tullium studiosius imitaretur, sed quia deterius imitabatur, impudenter, at non inepte dixit Gallus quidam. Ne multa, sic arbitror, in his omnibus genus eloquentiae esse corruptum, nec omnino scriptorem e christianis veterem quemquam inveniri, unde stili exemplum recte petas, praeter unum Lactantium, cujus demum in oratione romana illa sanitas apparet. Haec habebam, quae objicerem, quae tamen non vituperandi tui, sed testificandi amoris mei gratia dixi; nisi enim vere mihi atque ex animo amicum existimarem, numquam hac loquendi libertate usus essem. De reliquo, nihil video esse caussae, quin istam orationem, si modo quaedam expoliveris, in lucem edas, idque adeo ut facias, te magnopere etiam atque etiam hortor; est enim, ut dixi, plane egregia et Graserio digna. Eam tamen non ante istuc remittam, quam exemplum mihi describi curavero, quod arbitror me facturum te libente. Hendecasyllabi tui belli et ingeniosi sunt. Nempe ergo ut pedem e lectulo extulisti, statim ad Minervae et musarum consuetudinem reversus es; qua quidem te quam diutissime frui velim. Sed numquid audisti, quid Deblasio nostro acciderit? est enim hoc

proximo mense paucorum dierum morbo consumptus (1); quo casu quum gymnasium rhetore orbatum esset, egomet tantisper eo munere functus sum, dum alter in demortui locum est publice suffectus. Quid quaeris? adeo me pulchre in illa sedecula jactabam, nunc Aristoteles, modo Tullios, aliquando Fabios crepans, ut non sine aliquo dolore me postea domum receperim. Tu vero ride et nos ama. VI. Kal. Martias MDCCLXXVII.

28. ALEXANDRO GEORGIO S.

Nihil profecto elegantius a Robertio scribi potuit, nihil humanius, nihil mihi honorificentius. Quid quaeris? exsilui gaudio Tu mihi scribes, an epistolam ejus ἀπόγραφον tibi remitti velis, de qua valde te amo. De meis ad Aemilium litteris, me cogere non potes, ut de te aut non sentiam quod re appareat, aut non scribam quod sentiam. Ecce autem ab isto litteras! exemplum tibi statim descripsi. Desperat homo scilicet, ut solet, paullo tamen minus, quam solet. De reliquo, nec nihil pollicetur, nec tamen propriam ullam provinciam suscipit. Excusat autem cum occupationes, tum valetudinem, qua quidem scio ipsum uti non bona. Nihil igitur profecisti, inquis? nihil, et ea re fidem meam liberavi, nam praedixeram. Sed male sit isti coquo, qui nostratem polentam in existimationis periculum adduxit: at tu, si qua fides, cave, quidquam suavius putes, ita adeo, ut, quod ait ille apud Plautum, in ejus odorem vel Jupiter coenare possit. At scio, Malfattum meum divinitus pro ea, tamquam pro clientula, *toro ab alto* perorasse,

(1) De eo habes Commentariolum in Vol. VII. pag. 79.

sed nihil profecisse. Vos enim ex illorum grege estis, qui de quaque re non ex vero, sed ex eventu judicant, qui persaepe mentitur. Sed quando praescriptum misi, quod in culina feratis et figatis, spero, fore, ut si coquus id ipsum sequatur, res bene procedat. Quod si fiet, discetis palata nostratia paullo pluris facere; neque tamen apicianam hanc laudem, si sit opus, aegre vobis concedemus, siquidem nullo modo sequitur, ut quibus palatum sapiat, eis sapiat et cor. Sed satis nugarum. Ita, ut dicis, Tullii vitam pueris utique scripsi, hisque sciebam, nihil esse brevitate gratius. Et sane quid adderem? an catilinariam, an clodianam, num pompejanam historiam? an caeteras turbas et controversias, quae etiam si summatim perstringantur, tamen propter difficultatem non possunt non taedio esse pueris? id igitur spectavi unum, ut Tullii animum exprimerem; quod tamen ipsum an assequutus sim, nescio. Quod oratiunculam, de qua scripsi, vis ad te mitti, mittetur scilicet tum, quum erit perfecta, quod ante mensem Junium futurum non arbitror. Vale. VIII. Id. Martias.

Scripta jam epistola, accepi et a Malfatto et a Testa litteras, quae me admodum delectarunt. Tu, quantum audio, Federicottium (1) meum evulgasti; nam Testa miris cum laudibus tollit. Malfatto rescribam. Testae optimo atque humanissimo a me gratias ages.

(1) Vide Vol. VII. pag. 47.

29. JOHANNI BAPTISTAE GRASERIO SUO S.

Multum debeo silentio meo, quod tam longas jucundasque abs te litteras elicuerit, quales fortasse, si ad te scripsissem, daturus non fuisses. Attamen noli putare, mi Graseri, me aut oblivione tui, quem in memoria atque in oculis gero, aut pigritia ulla jamdiu nihil litterarum misisse. Multo autem minus, quod velim tecum summo jure agere, aut quod aliorum de me laudibus occupatus, in ea voluptate totus sim. Nam et summum illud jus, quod majores nostri summam injuriam appellassent, fugiendum semper duxi, et si cujus laudibus delector, delector profecto tuis. Illud unum igitur vere dixisti, me aliquid novae lucubrationis in manibus habere. Quamquam binas quidem scriptiones hoc tempore suscepi, quarum alteram ad exitum heri perduxi, alteram haud ita brevi perductum iri video. Est autem haec solida oratio in bibliotheca publica aliquando habenda, in qua copiose praescribetur quid in quaque gymnasii schola sit a magistris custodiendum, multaque verbose disserentur de latinis scriptoribus, de humanitatis studiis, de rhètoricae institutione deque illa controversia, utrum latine loquendum, necne, sit. Quae omnia eo spectabunt, ut melior quaedam et cum amoenior, tum utilior docendi ratio inducatur. Nam praesertim rhetorica post tuum discessum ita jacuit professorum inscitia, nihil ut exilius, jejunius, aridius fingi posset. Exsulabat Tullius, regnabat Muretus, non exponebatur, sed ad verbum reddebatur Virgilius, nihil ad Decoloniae praecepta addebatur: denique sexcenta alia fiebant ita inepta ac miseranda, ut non dicendi ars tradi videretur, sed tacendi. Hoc ergo propositum habebit oratio mea, ut viam monstret magistris, qua discipulos perducere possint, si minus ad eloquentiam, certe ad

rectam ejus voluntatem. Est autem, ut vides, non parvi res laboris, et quae diutinam commentationem lectionemque assiduam optimorum in eo genere auctorum desideret, ut undique opportuna quaeque congerantur, praetermittatur nihil. Evolvendi imprimis Quintilianus, Rollinius et Majoragius, in quibus ipsa copia judicium saepe moratur, ut nescias quid potissimum eligas. Optimum enim videtur quodcumque occurrit, nec quidquam, nisi aegre, dimittitur. Et tamen est adhibenda quaedam parsimonia, quae perspicuitatis et nitoris est mater. Quae quum ita sint, jam satis per te intelligis, otium mihi non esse conficiendae tibi perorationis (1), et de ea eloquentiae materia disserendi, quae in Ecclesiae Patribus reperiatur. In hoc enim dumtaxat tibi assentior: ceterum eloquentiam sacram a profana non secerno; quum enim eloquentia sit ars bene dicendi, haec eadem tum ad res sacras, tum ad profanas accommodatur: nec qui sacras bene tractabit, is aliis praeceptis utetur, ac qui profanas. Nam uterque et magna graviter, et parva subtiliter, et mediocria dicet temperate, nec different inter se, nisi materia; ille enim de morte Christi, hic de Caesaris disputabit; sed et ille, et hic eadem observabit, ut apta sit verborum comprehensio, ut convenientes optimaeque sententiae, ut argumenta alia aliis majora, magisque instantia. Uno verbo ex iisdem naturae, atque artis fontibus uterque hauriet. Verum ut ad rem redeam, cogita, quaeso, si tibi epilogum istum conficerem, quid monstri esset proditurum. Esset enim mihi de re prope ignota disserendum, qui in Patrum lectione numquam serio versatus fuerim. Quum autem Horatius dicat, rem provisam verba ultro

(1) Ad orationem, quam adnotavimus a Graserio scriptam *de nexu SS. Patrum cum theologia etc.*

sequi, hic prorsus contra fieret, ut vix tres versus caput scabendo, atque ungues rodendo possem exprimere. Quare auctor tibi sum, ut quum primum intercapedo tibi aliqua docendi dabitur, partem illam ita retexas, quemadmodum prius fueras meditatus (1). Est enim materia digna eruditione tua atque etiam festivitate, ut hos ineptos Oratores excutias et verberes. De reliquo, non recuso, quominus in eo tibi dem operam, ut ad tuam Orationem notas apponam. Itaque jam muto quod dixeram, me nolle tecum summo jure agere; agam enim plane inique: et vel una in vocula ingentes lites excitabo: atque hoc amplius, quo plura in te reprehendero, eo majorem abs te gratiam postulabo. Vale. IX. Kal. Aprilis MDCCLXXVII.

30. ALEXANDRO GEORGIO SUO S.

Proficiscenti istuc Echerio nostro, et numquid vellem roganti dedi ad te nescio quid munusculi haud sane illiterati; nonnullos, inquam, patris mei libellos, quos tu vel legas, si voles et si poteris, vel certe ut nostrae conjunctionis testes apud te habeas. In his est Commentatio de vario barbae usu apud Hebraeos, Graecos, Latinos atque Italos; quae quidem quum primum prodiit, studiosissime excepta est. Reperies etiam epistolam de Lagarina Dantis commoratione, quae laudatur etiam a Tiraboschio, et Commentariolum vocum quarumdam nostratium, quod sane percurras velim, ut et somnium Pimpesii (2), quo melius

(1) Graserio fuerat in animo quorumdam e Cristianis concionatoribus levitatem inanesque sonitus in extrema Oratione sua objurgare ac traducere.

(2) Vero nomine Josephi Giovannii. Id autem Somnium est vernaculis versibus exaratum.

cognoscas, quam non malo, ut extra Etruriam, nos sermone utamur. Nam ex eo quidem libro, qui jocosa carmina est inscriptus, satis erit libare aliquid. Adjunxi autem et ipsam patris mei Vitam, non quasi magni alicujus viri, sed ut honesti ac probi. Vides igitur, me tibi domestica misisse omnia, nihil alienum: eaque re non ingratum tibi munusculum fore confido, quamvis alioqui non aptum studiis tuis. Sed melius habebam nihil; nolebam autem Echerium ad vos vacuum venire; quem quidem tum caeteris familiaribus, tum etiam tibi commendo: cognosces hominem limatissimum gratissimumque. De Epitome in Serranum tua scripsi heri ad Malfattum quam mihi valde probaretur, sed scribam ad te ipsum propediem. Nunc enim haec subito exaravi. Vale, mi Georgi, quem ego incredibiliter amo. VII. Id. Apr. MDCCLXXVII. Roboreti.

31. ALEXANDRO GEORGIO SUO S.

Respondissem superioribus diebus ad eas tuas litteras, quas cum Epitome Serraniani Operis accepi, nisi valetudine leviter fuissem commotus, ut scribendi laborem non ferrem. Sed nunc quoque brevior ero quam soleo; scribo enim in Iseriano, quo quum otiandi, non studendi gratia me heri contulerim, in proposito manere debeo, ac ne latum quidem unguem ab strenua hac inertia, ut ait Horatius, discedere; idque eo magis, quod non multos dies hic licebit commorari, quum et alia quaedam, et imprimis oratio illa scholastica, de qua scripsi ad te alias, domum me revocet vel invitum. Sed quorsum ista? cur non statim de Epitome? quia mehercule quibus illam verbis collaudem, nescio. Sive enim argumenta spectes, quibus Serranum refellis omnesque ejus in Tiraboschium

machinas disjicis, nihil nec robustius inveniri potuit, nec verius; sive eruditionem, nihil colligi ad rem appositius; sive stilum, nihil texi elegantius. Arte praeterea quadam usus, quae me sane incredibiliter delectavit, ut adversarii rationes saepius in ridiculum verteres, quam gravi oratione confutares. Qua quidem in re mirifice tuam festivitatem adjuvabat summa earum levitas, ut, quemadmodum Catullus noster sola narratione vim epigrammatis aliquando assequitur, sic ut saepe Serrani argumenta, vel nudis verbis exponendo jugulares, quum absurda quaeque sub oculos subjiceres, ac quid inde fieret, lectori relinqueres cogitandum. Quid enim dicam de facetissimo illo ironiae genere, quod in toto fere scripto dominatur, quum ibi potissimum te Serrano assentiri simulas, ubi maxime liquet, eum, non dicam errare, sed delirare? quid porro de salibus venustissimis, quibus Hispanum, salvo tamen pudore, subinde perstringis? Sed si omnia, quae in hoc scripto excellenti quodam judicio artificioque elaborata animadverti, non laudare, sed recensere velim, numquam epistolae exitum inveniam. Decrevi autem quam brevissime scribere. Summa igitur haec est, Epitomen tuam mihi esse summopere probatam, meque tibi quoniam non Tiraboschii modo caussa, sed etiam mea totum istum laborem devorasti, gratias agere maximas atque immortales. Nam de Epistola illa mea, quam subtexendam putasti, video mehercule epilogi instar eam obtinere et gaudeo (1). Haec quum scriberem, putabam te fasciculum accepisse, quem Echerio dedi. Vale, mi Georgi, et longiorem epistolam

(1) In Vol. XII. Ephemeridum Mutinensium haec epitome a Georgio confecta relata est: ad cujus calcem Vannettii epistolam invenies.

alias a me exspecta. Vale. De Iseriano, ubi saepissime mihi occurrit imago Malfatti mei, quem videre videor in lectulo projectum, Helvetium degustantem, pressisque labiis degustantem. Circumvolitat etiam spectrum Fabronii (1), mihique oculos ferit, nec mirum, quum enim sim factus parumper Epicureus, εἴδωλα Catania necessaria consequuntur. XVII. Kal. Majas MDCCLXXVII.

32. ALEXANDRO GEORGIO S.

Biduo postquam libros caeteraque acceperam, venit ad me Fulvius in Iserianum, quem ego inexspectatum hospitem prandio accepi sane pythagoreo. Is igitur dies jucundissime consumptus est de vobis, sed imprimis de te colloquendo, quum ille te mihi ita diligenter describeret, ut et ipsum amore tui jam flagrare intelligerem. Quo in sermone omnia me delectarunt, praeter unum illud, quod eam vivendi rationem te iniisse ajebat, quae valetudini vehementer noceret: te enim totas noctes vigilare, mox stertere paene ad meridiem. Tu vero vide, quid agas, si et valere vis, et ea ipsa, quae moliris, perfecta videre aliquando cupis. De imagine tua valde equidem te amo, in qua multum diligentiae esse fateor, artis fortasse parum. Atque audio, te non solum hilariorem esse, sed omnino pulchriorem. De Bundio sane liberaliter: quem quidem ego permagni facio. Aldinii librum statim perlegi totum. Oratio mea lentum negotium, et ego nondum rure discessi. Fulvius noster gratissimum se vobis apud nos praebet. Nam

(1) Juvenis Florentini non minus rerum naturalium studio, quam forma atque indole egregii, qui biennio ante cum Vannattio rusticatus fuerat.

in omni sermone cum de vobis ea praedicat, quae summa sunt, tum imprimis vestram humanitatem, ac vestrorum in se officiorum magnitudinem diligenter studioseque commemorat. Pro quibus quidem officiis et ipse vobis gratias agerem, si tantum mihi apud vos tribuerem, ut mea potius commendatione, quam ipsius caussa ea illi vos praestitisse existimarem. Quod si et hominis virtute adducti, et nonnihil etiam meis litteris excitati, tanta cum benevolentia complexi estis; profecto, quantum ipse vobis debet, quominus tantumdem et ego debeam, non recuso. Geminum Montii poematium legi sane festivissimum, et ipsa divûm ambrosia suavius. Sed obsecro te, estne ejusdem latina scriptio, atque italica? Adhuc enim nesciebam, Montium nostrum esse bilinguem. Quirosio, quod libelli sui plura exempla ad me miserit, gratiam habeo. Tantum mihi dolet, quod argumentum id sit, in quo ego sim hospes. Habes epistolam plenam festinationis; quippe jam vasa colligebam, ut in urbem redirem. Tu valetudinem tuam, non ut facis, sed diligenter curabis; me quidem diliges, ut facis. Vale III. Id. Majas CIƆIƆCCLXXVII. de Iseriano.

33. HIERONYMO TIRABOSCHIO S.

Nihil necesse arbitror diuturnum silentium meum apud te excusare, nam ejusmodi sunt occupationes tuae, ut sine majore aliqua caussa non sit ad te scribendum. Nunc autem Josepho Baronio, civi meo, quocum magnus mihi usus, magna necessitudo intercedit, istac Romam proficiscenti, non potui, quin has litteras darem, tum ut nostrae conjunctionis memoriam apud te renovarem, tum etiam ut ipsi morem gererem, qui commendatitias ad te

magno opere petebat. Equidem spero, officium tibi meum non ingratum futurum, nec dubito, quin, qua es humanitate, ipsum Baronium libenter mea caussa in patrocinium tuum sis recepturus. Quod quidem ut facias, eique quantum me ames, ostendas, vehementer etiam atque etiam te rogo. Sed haec hactenus. Postrema epistola tua me admodum delectavit, et quod elegans erat meque mirifice laudabat (in quo tamen apparebat, te amori praeter modum indulgere), et quod multa afferebat, quae latinitatis caussam contra Alambertianorum opinionem, in qua est Georgius, incredibiliter adjuvarent. Itaque ejus epistolae exemplum quaestioni nostrae statim adjunxi. Ac vide quam cupidus sim scriptorum tuorum. Simul Georgius certiorem me fecit, se habere abs te litteras, quae de latina pronuntiatione secundum sententiam meam agerent, non prius sollicitare hominem destiti, quam eas ad me miserit. Quas ut legi, etsi eadem fere continebant, quoniam tamen erant omnia fusius explicata, statim latine verti, ut quaestioni pariter attexerem. Quare tibi singulares ago gratias, agamque dum vivam, quod quum esses imprimis occupatus, de re, quae nihil ad studia ista tua pertinebat, mea caussa, tam multa sis meditatus. Nam quod meam potissimum opinionem defenderis, in eo quidem sat scio, te non amicitiam, sed veritatem sequutum esse. Itaque hoc tibi dumtaxat gratiae non appono. Vides quam simpliciter tecum agam, quam sine fuco? Ita solet et Serranus noster, etsi is quidem fortasse paullo, quam satis est, simplicius. Nae tu vere de ejus libro ad me scripsisti, quem quidem Georgius noster, vir in omni genere summus, mirifice concerpsit suo illo pulcherrimo scripto, quod Epitomen adpellat. Profecto nihil mihi est longius, quam ut ea in vulgus exeat. Verum sentio, me longius esse lapsum, quam tuarum

occupationum ratio pati videatur. Quare cum id mihi ignoscas, velim, tum etiam illud, quod *spatiis exclusus iniquis*, tam plenas festinationis, tamque invenustas ad te litteras exaravi. Nunc tu, qui aegre ad me latine scribis, quod judicium meum, si diis placet, reformidas, paullum, opinor, respirabis. Videsne me etiam jocari? Sed jam avocor, ut, etiamsi velim, plura non possim. Vale, vir doctissime, meque tui amantissimum ama. De Iseriano III. Kal. Sept. MDCCLXXVII.

34. JOSEPHO QUIROSIO S.

Nudius tertius quum Georgii nostri litteras exspectarem, tuas accepi sane gratissimas, quibus haud breviter responderem, nisi et ad plures scribendum hodie esset, et amicos quosdam hic mecum haberem, qui aegre ferunt, me ullum tempus scriptioni dare, quum id omne suavissimae consuetudini nostrae eripi querantur. Scribam igitur pauca, ut potero, cursim; quae si minus tuarum litterarum vel nitori, vel facundiae respondebunt (fateor enim, hanc in te magnam esse) at tibi declarabunt, te, tuaque omnia maximi a nobis fieri (1). Quare hoc primum habeto, quod Diploma nostrum tibi gloriosum duxeris, id nobis oppido esse gratum; quod vero miratus sis, te hominem jurisprudentiae deditum, in nostram sodalitatem cooptatum esse; nos potius mirari, cur scientiam hanc tuam a republica litteraria segregandam atque ab Academicis honoribus repellendam putes. Neque enim, si plures ita illam profitentur, ut sua ipsorum inscitia dedecorent, ideo

(1) Quirosius, homo hispanus, in Litterarium Lentorum Sodalitatem fuerat adscitus.

aequum est, ut ineptorum hominum culpam ipsa sustineat; quae etiam suapte natûra nobilissima atque utilissima est, magnaque eruditionis ac doctrinae recipit ornamenta. Noli ergo, mi Quirosi, in studia tua, atque in te ipsum esse iniquus: cogita, te nequaquam ab optimis litteris, a philosophia, atque a caeteris scientiis imparatum, sed his omnibus instructissimum ad gravissimam juris civilis facultatem accessisse, eamque ita exercere, ut eloquentiae ubertate ornes, ingenii acumine illustres. Quibus laudibus quum excelleres, ad easque praeclaras quasdam animi virtutes, et eas ipsas, quibus jurisconsultorum vulgus non fere abundat, adjungeres; cui jure mirum videatur, nos judicii de te nostri testimonium tibi dare voluisse? Nolo de his plura; jam enim ea dixi, quae, ut optimus jurisperitus et orator sis, numquam mehercule refutabis. Nunc illud etiam, antequam finem facio, scias velim, elegiacum istud, quod promittis, carmen avidissime a nobis exspectari; tua enim in prosa oratione elegantia ac festivitas nos dubitare non sinit, quin Musis quoque propitiis et Apolline perquam morigero utaris. Si igitur, et hoc, et alia, si qua habes, miseris, gratissimum nobis feceris. Vale, mi ornatissime Quirosi, meque mutuo dilige. De Iseriano. Prid. Id. Octob. MDCCLXXVII.

35. JOH. BAPT. GRASERIO SUO S.

An etiam dubitas, mi Graseri, quin tua valetudo maximae mihi sit curae? Tu vero sic habe, nihil mihi hoc toto intervallo molestius fuisse, quam quod audiebam, te minime valere, atque ob eam rem ipsam, quia putabam, tibi cum corpore, tum animo aegrotanti jucundas meas non posse accidere litteras, scribere intermisisse. Nunc

autem quum te et paullatim refici, et vero veteris nostrae consuetudinis cupidum esse intelligo, incredibiliter gaudeo, tibique ex animo cum gratulor, tum polliceor, fore, ut partes in scribendo meas non desideres. Certe enim et te unice multis de caussis diligo amoque, et tuorum scriptorum ita sum avidus, ut concedam omnino nemini. Et tamen, ut verum fatear, accessio quaedam ad voluntatem in te meam his proximis litteris est facta, quibus nuntiabas, Tartarotti Vitam abs te emendari, ut tandem in vulgus exeat. Nostrum istud in civem atque amicum studium, quod jamdiu refrixisse videbatur, me summopere delectavit. Quare age, atque in id incumbe usque donec perfeceris. Non potes, mihi crede, hoc laudis monumentum, amicitiae, et grati animi officium illi mortuo, neque patriae, neque rei litterariae universae debere diutius. Profecto ejusmodi res est, quam si effeceris, summa te undique approbatio; si imperfectam reliqueris, summa est reprehensio sequutura. Itaque tanti fuerit, ut, quod debes, Tartarotto persolvas, vel publice docendi munus praetermittere, atque omne tempus, praeterquam quod exigit valetudo, in istum librum castigandum ac perpoliendum insumere. Etenim sapienter facturum te arbitror, si omnia, quae aut minus ad Tartarottum pertinent, aut certe leviora exteris hominibus videri possunt, sine dubitatione resecueris; denique si nihil edi permiseris, nisi quod ejusmodi sit, ut etiam apud alienos ignotosque pondus habiturum esse videatur. Non te praeterit scilicet, quo in saeculo vivamus. Vivimus in eo, quod elegantes amoenosque libellos cupide excipit, spissos et curiosa quadam diligentia refertos libros repudiat. Omnia igitur in quam potes paucissima confer, quae eadem et optima, et memoria dignissima habeantur. Sed illud imprimis specta, ut

ingenium hominis, ut indolem, ut virtutes, ut mores veris coloribus pingas, ac penitus lectori inspiciendos tradas. Hoc enim scribendi genus a Graecis profectum, apud latinos excultum, arreptum nuper a Gallis, relictum a nostris, omnium arbitror esse utilissimum pulcherrimumque. Video me plura de hac re dixisse, quam aut oportebat, aut par erat, praesertim scribentem ad magistrum; sed qua es humanitate, haec ita accipies, ut non monendi me gratia dixisse existimes, sed declarandae cupiditatis meae. Quam quidem quo magis cognoscas summam esse, ad ea, quae de Sandinii et Serryii controversia adscribis, diligentissime respondebo. Adnotationem tuam avunculo legi, atque is negavit, se quidquam de ea re ad te scripsisse. Sandinii locum descripsi accurate, quem cum his litteris accipies. Nam quod meum judicium requiris, ridicule tu quidem, sed tamen haec habe. Serryus tradit, D. Hieronymum *existimare* Patrem Mariae Virginis fuisse Cleopham. Sandinius respondet, eum nihil *definivisse*. Duplex hic nunc oritur quaestio. Primum an apposite Sandinius respondeat, nihil *definivisse* Hieronymum, ei, qui adfirmet, eumdem ita *existimare*; deinde an Hieronymus revera ita *existimaverit*. Ad priorem quaestionem quod attinet, posset sane quis dubitare, utrum *existimo* valeat aliquando idem atque *definio*, sive *pro certo affirmo*, an *opinionem* tantum semper significet. Nam si opinionem dumtaxat significaret, haud apposite negaret Sandinius, ita Hieronymum *definivisse*; aliud enim negaret, ac dicit Serryus. Verum quo sensu verbo *existimandi* hoc loco utatur Serryus, atque utrum ad *opinionem*, an ad *certam* Hieronymi *sententiam* referat, e reliqua oratione intelligitur scilicet. Addit autem mox: *utriusque pater*, *Hieronymo quidem JUDICE*, *Cleophas erat*, *non Joachimus*; dubium igitur non

est, quin ad *certam* Hieronymi *sententiam* referat, ac pro eo *existimare* ponat, quod est *definire*. Apposite ergo respondet Sandinius, illum *nihil definivisse*. Hoc crimine liberatus alio adhuc premitur, quasi praeterea illud dixerit, non modo Hieronymum nihil pro certo adfirmasse, sed *ne opinatum quidem esse*, Virginis Patrem fuisse Cleopham. Id probatur his verbis: *ita dictam* (Virginem) *a Patre* (Cleopha) *Hieronymus non opinatur*. Quid si igitur haec verba perperam ipsi tribuuntur? ita est nimirum; nam ab Sandinii Historia plane absunt, atque eorum loco haec leguntur: *Neque enim eo loco asseverat* (Hieronymus) *Mariam Cleophae, quam facit Mariae Virginis sororem, ita dictam a patre, ut Theologus ille opinatur, sed rem in suspenso relinquit*. Haec germana est lectio, quae vel malitia, vel casu corrupta scriptorem in discrimen adduxit; ex qua integra magis etiam ejus sensus elucet, qui est ejusmodi, *Hieronymum de Cleopha nequaquam, ut Serryus opinatur, adfirmasse, sed conjecturas dumtaxat aliquas adtulisse*. Altera nunc restat quaestio, si modo quaestio dici potest. Nam mihi quidem, ut et Sandinio, et tibi, videtur eo loco D. Hieronymus verisimiles aliquot caussas, quare *Maria Cleophae* diceretur, sic proponere, ut nullam tamen potissimum veram statuat. Habes igitur de tota re quid sentiam. Ama me, mi Graseri, et da operam diligenter, ut convalescas. Vale. MDCCLXXVIII. VIII. Kal. Martias.

36. ALEXANDRO GEORGIO S.

Meministi opinor, quid dicat Lucius Crassus in libris de Oratore, illum sibi non videri liberum, qui non aliquando nihil agat. Id profecto caussae fuit, cur tuis litteris sane humanissimis non statim, ut soleo, responderim.

Nam his proximis bacchanalibus nihil mihi cum libris negotii esse volui, meque ad otium paullisper contuli, ut tandem experirer, an liber essem. Quod quidem processit ex sententia. Sed haec melius cognosces ex epistola, quam dedi ad Malfattum: non enim arbitror, cum severo aliquo patruo mihi rem esse; sed cum eo homine, qui honestam hilaritatem in adolescentibus probet, ipse ab omni oblectationis genere non sit alienus. Nunc ad litteras venio. Quod judicium de Euritio meum tam valde probas, haud mediocriter mihi gaudeo; nam, ita vivam, priores tuae litterae approbationis tuae spem mihi, nescio quomodo, imminuerant. Quod autem Fontanellii et Alambertii mentionem desiderare videris, equidem fateor, noluisse me quidquam ostentationis gratia scribere, neque eos auctores laudare, quos auditione tantum magni facerem. Quamquam Thomasium quidem, quem tertium addis, jampridem legeram. Sed quum laudationes, quas edidit, oratoriae sint, non historicae, et quidem tumidiore dicendi genere, mea sententia, haud raro peccent; hujus mentio minime ad rem nostram pertinebat. Recte, inquis; sed id ipsum reprehendo, quod Fontanellium, quod Alambertium, divinos homines, numquam legeris. Ego vero, si quae in mentem veniunt, efficere omnia liceret, non istos modo, verum etiam plures alios scriptores jam evolvissem. Sed nosti, mi Georgi, in his rebus quid fieri soleat: multa saepe molimur, multa paramus, quae mox aggrediamur; sed quum bene maturum est, tum maxime negotium aliquod incidit, quod nos ad alia omnia traducit. Dein aliud ex alio; interim abeunt dies, menses, anni. Qnae quidem noli putare eo a me dici, quod a Fontanellii atque Alambertii lectione abhorream; sed nimirum ut intelligas, quidvis potius fuisse caussae, cur illos nondum legerim, quam

aut contemptum, aut negligentiam. Legam autem, mihi crede, quum primum per occupationes potero diligentissime. Nam cum ipsos summo in pretio habeo, tum nihil antiquius mihi esse debet, quam ut consilia tua persequar, praesertim tam mihi salutaria, quibus utinam nihil falsi tuus in me amor admisceret. Quum enim rerum varietatem a meis scriptis abesse doles, quum recentiore hac doctrina imbutum me cupis ; ita me dii ament, ut et verum plane dicis, quod ego libentissime audio, et amice me mones, quod ne frustra facias, operam dabo. Verum quum praeclara quaedam de me praedicas, quod saepe soles, facile intelligo, judicium istud, quo excellis, nimia benevolentia vel corrumpi, vel hebetari. Quod si nos fortuna unum in locum aliquando conduxerit (quem talem diem videre profecto gestio); tum vero quum me coram alloquutus fueris, etiam hic tibi error eripietur. Nescio enim quomodo majora omnia longinquitas fingit, quae praesentes melius metimur. Quare, obsecro te, mi Georgi, siquid habes, quod mihi prodesse posse existimes, prome sane, ut facis : magnificas laudes illas, quae pudorem mihi etiam soli incutiunt, nec me tamen meliorem faciunt, in illud tempus reserva, quum me coram perspexeris ; certo enim scio, te, si id evenerit, in perpetuum abjecturum. Sed ne epistolam prorsus inanem habeas, adjunxi, nescio quam scriptionem meam (1) recentissimam. Nam quum Oratio quaedam Venetiis exisset, qua unus ex his philosophis, qui *ut putentur sapere, coelum vituperant*, summis laudibus onerabatur, quumque eas laudes, quas ego ironiae plenas putabam, ita vulgo acciperent homines, quasi vere ac serio effunderentur, eaque res civitatem nostram commovisset, declamante praesertim quodam lippo ; visum est

(1) Hanc scriptionem invenies in Vol. I. pag. 281.

mihi imperitorum sermones tollendi, vel certe refrigerandi gratia paucas hasce pagellas edere, quibus et Orationis auctorem, quisquis est, a teterrimo impietatis crimine vindicarem, et ipsi Orationi lucem pro virili parte adhiberem. Hujus igitur scriptionis judicium a te exspecto: plura exempla, si voles, a me petes. Salutem dic Bevilaquae ornatissimo, Malfatto, Barotto ac Montio, deliciis atque amoribus meis. Vale. MDCCLXXVIII. Nonis Martiis.

37. CAROLO MICHAELERIO S. (1)

Cum aliis multis, tum duabus praecipue de caussis te in nostram Sodalitatem adscitum esse vehementer laetamur, quod et doctrina ita flores, ut patriam gentemque tuam plane illustres, et eo animo es, ut paucos aeque gratos noverimus, prolixiorem quidem certe neminem. Quorum illud jam antea cognitum habebamus; hoc proxime tantum perspicere potuimus, quum librum de linguae germanicae origine adhuc ineditum una cum litteris humanissimis ita ad nos misisti, ut nomini nostro te illum dedicare velle significares. Quo quidem ex officio, velim tibi persuadeas, nos summam capere atque incredibilem voluptatem, quum et ea inscriptio eximium tuum erga nos studium apud omnes sit testatura, et ipsum opus, quod jam avide inspeximus, tantum habeat subtilitatis, tantum ponderis ac frugis (nihil enim de eruditione, industria, diligentia dico, quae summa in te sunt), ut non modo tibi maximam laudem, verum etiam universae Sodalitati nostrae haud vulgare decus allaturum esse videatur. Gratias igitur tibi, ut par est, agimus singulares; et quoniam

(1) Haec epistola scripta est Lentorum Sodalitatis nomine.

nostri arbitrii esse vis librum hic edendum curare, aut remittere: quod optimum censemus, id facimus, ut tibi scilicet remittamus. Nam nec librarios Roboreti habemus satis idoneos, instructosve ad id genus volumina describenda, et difficile sane esset, hic quidem in Italia, operi ad vestram linguam maxime pertinenti emptores invenire. Itaque in omnem partem commodius fuerit, te ab Germanis tuis non discedere; idque ut facias atque ut tam spissam, tam variam tamque utilem lucubrationem e tenebris tandem in lucem proferas, nos te etiam atque etiam hortamur. Hoc nihil nec tibi gloriosius, nec nobis facere poteris jucundius. Vale. Roboreti. III. Id. Junias MDCCLXXVIII.

38. JOH. BAPT. GRASERIO SUO S.

Etsi jam antea ex aliis cognoveram, commodiore te valetudine in dies uti; tamen id ipsum ex tuis litteris intelligere fuit mihi multo jucundissimum, tum quia alii facile falli possunt, ipse, qui experitur, non potest; tum quia nullum benevolentiae majus indicium est, quam si amicos de tuo statu diligenter certiores facias. Itaque tibi et gratias ago, et gratulor sane, ut debeo, vehementer. Nam quod scribis, te continuo in Italiam ad complexum nostrum advolaturum; hoc, ita vivam, tanto me afficit gaudio, quantum explicare verbis non possum. Ego igitur te, ut soleo, in Iseriano exspectabo, quo Kalendis Septembribus spero nos esse commigraturos; quum enim haec scriberem, in urbe adhuc eram, invito tamen animo, et abire gestiente. Sed noli, amabo te, committere, ut ad nos redeas sine Commentario isto de Tartarotti vita atque scriptis: cujus nos omnes mirifico quodam desiderio jamdiu

tenemur. Profecto enim effugere non potes, quin et illius mortui gloriae prospicias, et tuo ipsius officio tandem satisfacias. Quin immo sic existimes velim, te idcirco potissimum a Deo incolumem esse reservatum, ne ante ex hac vita discederes, quam amico praeclare de te merito id, quod debebas, persolvisses. Nemo, mihi crede, tota Italia doctus vir reperitur, qui non Tartarottum magni faciat, qui non ejus vitam quamprimum edi cupiat: ita ea communibus votis expetitur. Quid tum? Omnes te scilicet intuentur unum, omnes illam ab te non solum poscunt, sed etiam flagitant. Itaque jam plane ad existimationem tuam pertinet non pati, ut de silentio tuo diutius conquerantur. Quod si tu is esses, cujus oratio minus expedite, minusve diserte flueret, sane hanc cunctationem non reprehenderem; sed quoniam is es, qui in Tartarotto laudando propriam ingenii laudem consequi possis, non hercle video, cur quae instituta de illo habes, aut numquam absolvas, aut, si jam absolvisti, tamdiu premas. Nam quod olim tibi suaseram, ut opus tuum Spergesio inscriberes, id ita nunc muto, ut plane Farsettio (1) inscribendum censeam. Quum enim in rebus non tam nostram, quam ejus, de quo scribimus, personam respicere debeamus, dubium ne id est, quin Tartarottus multo fuerit Farsettio propior, quam Spergesio? Nam cum ambo Itali, tum magna inter eos amicitia et consuetudo etiam eruditissimarum epistolarum fuit. Quid plura? Farsettius ipse hanc conjunctionem testatus est latinis de eo perhonorifice scriptis versibus, qui Parmae nuper prodierunt cum aliis ejus carminibus bene multis, quae ipse humanissime ad me misit, magna quidem cum mea voluptate, sed majore etiam admiratione.

(1) Josepho Thomae Patricio Veneto, litteratissimo viro.

Huic igitur Hieronymi vitam non inscribas, qui vel mortuum ita amet, ut ejus unius caussa omnes nos diligat? Sit enim sane Spergesius bonus, nec illitteratus vir tibique amicus; sed quid ad Farsettium? Quare, siquidem integrum tibi est, fac ita ut dixi. Verum et haec, et alia ad Iserianas illas congressiones reservemus, multa enim scribi vix possunt, quae coram optime explicantur. Sed habebimus etiam quae legamus, si dieculam modo apud me manseris: amoena, inquam, omnia, et festiva, et qualia minime exspectes .... Baronius et Commentarium, et litteras tuas accepit. Is tibi, et mater atque avunculus salutem referunt amantissimis verbis, ac videre te gestiunt. Cura, mi Graseri, ut perpetuo valeas, et quam citissime fieri potest ad nos venias. Vale. Roboreti. v. Kal. Septembris MDCCLXXVIII.

39. HIPPOLYTO BEVILAQUAE SUO S.

Prandebam nudius tertius, atque haud macros turdos strenue lacerabam, quum puer intrat cum codicillis, quos a gallina exaratos jurares, in quibus scriptum erat, Falconis nostri imaginem a Bellinio pictam Sacci esse apud Crassum: undique spectatum concurri; proinde, si vellem, et ipse descenderem. Recte, inquam, et quum hos reliquos turdos, quo fatum vocat, demisero, veniam. Tum vero urgeo propositum, atque unctis digitis, et mantelia, et mappas totas inquino. Remotis tandem temere patinis, surgo properans ad Athesimque praecipito. Ecce autem tria plaustra, duae rhedae, quatuor aselli; dandus est hic locus, ut semper. Dum it, redit rursusque remeat cymba, abit hora. Interim rubicundus jocari portitor; et nautico unumquemque sale conspergere. Rogo, quot bonos viros

illo die transmiserit. Adhuc quidem (inquit) nullum, quod sciam. Rideo judicem Rhadamanto duriorem. Denique appellimus; inde ego ad Crassum recta. Erat uxor in atrio cum institore, nescio quid nugarum inspiciens atque acriter de pretio litigans; timet enim, ne, si obolo circumduci se sinat, nequam viro suo videatur. Haec illa est, ne tu nescias, quae hospitii gratia et mihi et tibi paene poenulam scidit. Verum eo die nihil vidi benignius: salutavit, ac brachio leniter prehensum statim ad tabulam duxit. In ipso conclavis limine exclamo, esse Falconem. Dum scrutor singula diligentius, supervenit pictor veste, ut solet, adstricta, lapsis cincinnis, pileolo fimbriato, magno focali, totus horridulus. Quid tibi (inquit) videtur? *Optime omnia expressisse te judico, os hominis, vultum, colorem, habitum.* Adspice, sodes, aduncum illum atque oblongum nasum, porrecta labra, transversos oculos; num potui similius? *Non hercle.* Quid caetera? amictum auro intextum, pluteum, libros? *jam vidi, et laudo.* Atqui non laudandi mei gratia dico hoc, sed quia verum est; Veronae metuo neminem de arte mea (haec dicentem plures audiebant). Viden' tu hos capillos, quam videantur paene ad regulam digesti? fuit olim, qui me rogare est ausus, quo pacto id fieret: impudentiam hominis! quamquam flocci haec facio prae illa palla, quam in Probae tabula pinxi. *Nae tu,* inquam, *et cinislones, et vestiarios omnes peruris; sed memora, sis, mihi tuum nomen, nam forte sum oblitus, nec decet me ignorare.* Bellinium vocant. *Euge! isto nomine pictor Venetiis fuit praeclarus superiore aetate.* Immo (inquit) ab illo genus ducimus. *Tanto hercle melior; atque hunc, ni fallor, tradit Vasarius Turcarum regi in deliciis fuisse.* Verum; immo quum Cignarolius in Veronense Collegium me adscriberet; cujus diei numquàm obliviscar; imposita

humero manu; eja (inquit), Bellini, similis sis majorum tuorum. Quid censes? dejeci oculos prae pudore. *Mira narras.* Quin majora ex me audies. *Non herele diutius morari hic possum.* Veniam igitur ad te cras. *Ut libet.* Ita discedo, risum vix tenens. Quid multa? ecce tibi hominem postridie, in quem ut forte inciderunt famulae, immani proceritate territae, diffugerunt. At ego jam intellexeram, vultum illi meum placuisse, eamque fuisse caussam veniendi. Data acceptaque salute; scis, inquit, quid novi afferam? Crassum ipsum fortasse pingam, si conditiones convenerint. Ego enim ingenio sum libero; odi operam locare: penicillum spe ampla libens capiam; pacto non item. *Quid ille?* Timet crumenae, pacisci vult. *Hoc quidem* (inquam), *nec novum, nec mirum facit. Non hac tibi mecum erunt lites.* Quorsum? *Nam me quoque pinges.* Tum ille gaudere, gratias agere, omnia de se polliceri. *Mitte haec, sodes, atque hoc potius expedi, qua me forma, quove statu potissimum descripturus sis.* Meo me ludo provocas (inquit); semper in hac laude regnavi. Aucupem te pingam viscatos calamos atque noctuam ferentem, vel etiam venatorem cum canibus praedae aliquid ostentantem: id juvenile est imprimis. *Sanusne es? numquam ego tam male de aviculis, ferisve meritus sum.* Tum te lorica et paludamento induam, extento brachio, acri obtutu, similem imperanti. *O praeclarum imperatorem, qui nomen ipsum militiae et castrorum perhorrescat?* Quid si ergo comatum pinxero, et nitidum, et hilarulum, et florentem? *Haud secus feceris, ac si ut Scyllam vites, in Carybdim incurras.* Jam scio: galerum tuum vis, et ornatum equite dignum, et Bibliothecam. *Ego vero nec fictam comam raso huic occipitio antepono; nec forensem vestem domesticae, nec struem voluminum tribus libellis. Quaere igitur melius.* Haec tibi, mi

Bevilaqua, scribebam Martinalibus inter vina, praeterquamquod sine te; ceterum satis laetus. MDCCLXXVIII. De Iseriano.

40. ALEXANDRO GEORGIO S.

Jamdiu nullas abs te litteras accepi, idque non tam occupationibus tuis, quam otio et pigritia factum scio. Sed quoniam nihil detrimenti ex tam diuturno silentio amicitiam nostram cepisse spero, querelas ac reprehensiones omnes libenter mitto. Scripseram nuper ad Malfattum, me Horatio vertendo operam dare. Rescripsit suavissime, ut solet; sed tamen ut avocare me potius, quam impellere videretur. Scilicet putavit, multorum mensium opus a me esse susceptum. Nam ut paullisper, inquit, hoc agas, nemo reprehenderit. Ceterum memento quod ille ait Mathematicus apud Montesquiaeum : *si tu semper aliena vertas, numquam tua vertet quisquam.* Praeclare quidem et Gallus hic et Italus noster. Quo magis cupio te scire, quid omnino consilii hac de re habeam, ut quid ipse sentias, cognoscam. Quum enim hac proxima aestate Horatii Lyrica versibus a Corsettio translata legissem, multaque deprehendissem, quae a poetae vel sensu, vel ingenio, vel spiritu longe abessent; epistola bene longa, quam brevi editam accipies, judicium meum accurate exposui, atque, arrepta occasione, quaedam de veterum poematibus prosa potissimum oratione convertendis injeci, quae, si res exigat, altius repeti ac subtilius explicari possent. Haec ruri scripseram, quum tanti essent calores, ut omnia circum ardere viderentur. Postea in urbem redii, ubi, etsi aliud agendum erat, tamen frequenter me ad Horatium referebam. Insederant animo Iserianae cogitationes, ac me ipse jam impellebam,

incitabamque, ut quando veteres poetas multo melius prosa, quam carmine exprimi posse censerem, id ipsum in Horatio tentarem, Gallorumque morem in Italiam inducerem. Ut igitur rursus, praeclaris stipatus comitibus, *me in montes atque in arcem ex urbe removi*, nihil prius habui, quam ut Battouxium, Sanadonium ac Dacierium legerem. Ea lectio meum consilium mirifice confirmavit. Quum enim viderem, tantos viros, quamvis in Horatio vertendo prosa usi essent, tamen et saepe, nec leviter aberrasse; putavi, non mediocrem locum industriae meae relictum esse. Itaque rem suscepi, in eoque maxime elaboravi, ut non modo singulas poetae sententias atque imagines, sed et ordinem, et vim, et venustatem, totum denique characterem, ac, quoad ejus fieri posset, vel sonum repraesentarem. Verum nec omnia, nec multa ejus poematia transferre umquam fuit animus; sed cujusque generis duo tantum, aut tria, ex quibus docti homines veluti gustum haurire possent. Haec inter venit ad me Hippolytus Bevilaqua, vir, ut nosti, imprimis litteratus, idemque poeta multo elegantissimus, qui nova, ut ipse quidem adpellabat, vertendi ratione motus, incredibiliter me excitavit. Etsi idem addebat, hanc ipsam in multorum reprehensiones incursuram, quibus tamen ne terrerer; fore enim plures, qui rem totam probarent. Quid jam? inquis; quam longe etiam abes ab eo fine, quem tibimet praescripsisti? Ego vero propius, quam arbitrare. Nam si unam etiam epistolam convertero, nihil restabit, nisi ut commentaria, quae singulis poematiis adjicienda censeo, quorum materiam congessi jam ac disposui, absolvam expoliamque. Id autem menses summum duos mihi auferet. Neque enim φιλόλογικα solum persequor, sed etiam philosophica; in quo a Dacierio non discedo, qui mihi unus omnium optime videtur divinam

Horatii mentem introspexisse. Si igitur quantum temporis vos aleae dedistis, et ambulationibus, et conviviis, tantum ego ad Horatium vertendum mihi sumpsi; vides, nihil esse, cur a quoquam, nedum a vobis, subaccuser. Ceterum, ubi omnia perfecta erunt, ad te atque ad alios doctos viros mittentur, qui si *plura nitere* pronunciaverint, et in quibus peccatum sit, ea corrigi posse; aliquando fortasse edam; sin autem unam lituram allini jusserint, tenebris tineisque mandabo. Habes ordine omnem rem. Quod reliquum est, gratulare mihi, quod ea, quae de gymnasticae disciplinae ratione ad nostros praeceptores institueram, tandem ad exitum perduxerim. Vere enim ut dicam, magno onere mihi videor liberatus. Volumen prorsus effeci, quod tamen continebitur. Romae quid agat Montius, an litteras meas acceperit, vehementer scire aveo. Tu me fac diligas, et quamprimum tuis litteris recrees. Nam vetus est dictum, laesam patientiam in furorem facile verti. Vale etiam atque etiam. De Iseriano XIV. Kal. Decembris MDCCLXXVIII.

41. LAURENTIO SUO S.

Etiamne scribis? atqui exspectabam quidem; nam vel tuus discipulus heri praedixerat. Itaque incertum est, quid suspicer, nisi si forte parum tibi succedit ob diuturnam scribendi intermissionem stilus, quod quidem minime velim. Remedii quid tibi praecipiam, scio; sed non facies. Quid est? inquis. Audies coram, non enim dubitare mihi licet, quin fidem sis praestiturus, quum praesertim, quomodo nunc est, penu utamur luculento. Ego, mi Laurenti, quum huc venio, statim mirifice mihi placeo; delector villa, delector agris, prorsus reviviscere mihi videor. His

autem caloribus deambulandi tempora in antelucanas atque in vespertinas horas conferre soleo; surgo enim hora fere quarta, ac prata haec viridissima, amoenissimosque colles circumeo ad sextam, Horatium hunc Corsettianum non legens modo, sed recitans; quem poetam, et quantum, dii boni! cujus ego vel in uno Carmine plus praeceptorum inesse statuo, plus sententiarum, quam in ullo philosophorum vestrorum libro. Deinde ubi domum me recepi, operam do Adamo Clusolo. Intelligis, opinor, quid dicam. Nam Clusolus unum volumen de rebus ad picturam pertinentibus versu a se conscriptum mihi legendum, considerandum, expoliendum commisit. Vespertina ambulatio variam habet lectionem; sed tamen a magistris illis meis non discedo. Epistolae quidem ad Atticum assidue teruntur. Sic vita est. Scribe ad me et vale. De Iseriano. MDCCLXXVIII.

42. BARTHOLOMAEO BURGHIO S.

Multum ego debeo meis epistolis, quam cum Georgianis conjungendas curavi, quod te mihi, talem adolescentem, conciliarint. Atque, ut verum fatear, jamdiu scire avebam, quis post Biringuccii discessum Pazzinio nostro in notandis librariorum mendis operam daret; quum enim Commentarioli folia accepissem omni errorum genere inquinatissima; epistolarum haud paullo videbam esse emendatiora. Itaque cum correctori isti, quisquis esset, jam ultro favebam, tum ea ad Pazzinium scribebam, sicque hominem pertentabam, ut, nisi animum obfirmasset, te profecto nominare debuisset. Verum ille, quum sciret, et praeclarum ingenium, et minime vulgarem in te esse latini sermonis facultatem; nec sua te, nec cujusquam commendatione, si modo ipse ad me scriberes, apud me agere

existimavit. In quo velim credas, nihil eum fefellisse. Iis enim profecto scriptae erant tuae litterae et sententiis, et verbis, quae me in tui admirationem, et (quod inde consequens est) amorem facile raperent. Ex quibus nisi me magnum totius consilii ac laboris mei fructum cepisse fatear, certe mentiar. Nam cum semper jucundum est, se ab aliis amari intelligere, tum vero multo jucundissimum, si ii, a quibus ad amicitiam invitere, et tuo ingenio captos se esse dicant, et quae maxime in te laudant, in iisdem sint ipsi versati. Quae quidem non eo scribo, quo mihi ob nugas illas meas magnopere placeam, sed quod te tamen eas, qualescumque sunt, video non esse aspernatum. Nam etsi haec accuratius non persequeris, intelligo tamen, te, nisi probares, nec tantam diligentiam in admonendis librariis adhibiturum, nec omnino scripturum fuisse. Ac de diligentia quidem primum valde te amo; deinde a te etiam atque etiam peto, ut quod ignoto studiose gratificatus es, id noto atque amico multo etiam studiosius praestes, imprimisque cures, ut, quod iterum ac saepius Pazzinio mandavi, ex omnibus cujusque folii exemplis omnia menda tollantur, ac praeterea constituas, num sic quoque mendorum indicem separata pagella proponi satius sit; postremo tibi polliceor, quidquid boni haec editio habuerit, id totum me tibi acceptum laturum; siquid erit peccatum, operarum negligentiam accusaturum. Ad tuam autem approbationem quod attinet, scias, mi Burghi, me non plane esse contentum. Quid quaeris? volo abs te vel reprehendi verbosius, vel laudari, vel etiam utrumque. Cupio, inquam, audire, non tam quid de me universe, quam quid potissimum de meo isto Commentariolo, deque epistolis sentias; verum id ipsum ita explicari cupio, ut ea, quibus tota stili ratio continentur, sigillatim attingas. Quod numquam profecto, mihi crede,

abs te postularem, nisi et acuminis vim quamdam, et mirum animi candorem ex tuis litteris perspicere mihi essem visus. Quorum sine altero judicium tuum non optarem, sine altero non acciperem. Interim fac tibi persuadeas, cum hac nostra conjunctione nihil mihi esse carius, tum me, quoad licebit, daturum operam, ut intelligas, me et ingenium tuum magni facere, et valde diligere humanitatem. Tu autem, mi suavissime Burghi, et cole, ut facis, optimarum doctrinam litterarum, et latinitatis quoque studia, quando ipsa te natura ad ea perduxit, ubi quid otii datur, persequere. Ad me vero hac ipsa lingua cum saepe, tum familiariter scribe. Quod si facies, et illud, quod assequutus jam es, quod certe multum est, non modo tuebere, verum etiam augebis ; et siquid adhuc in oratione tua deprehendis quod veterem illum colorem non satis referre videatur, ipsa paullatim exercitatione emendabis. Vale, teque a me amari pro certo habe. Roboreti. XII. Kal. Januar. MDCCLXXIX.

43. GRASERIO SUO S.

Quod scribis, tuam illam de studio historico Orationem te librariis evulgandam dedisse, id adeo probo, ut etiam reprehendam, quod tamdiu continueris, erat enim dignissima, quae jampridem in hominum manus perveniret. At ego, quum primum ejus exemplum abs te accepero, statim epitomen conficiam, quae Vicetiae edatur. In qua quidem ea de te praedicabo, ex quibus omnes intelligant, quantum ingenio valeas, judicio, eloquentia. Quid quaeris? argumentum ipsum nos fortasse disertos faciet. Sermonem, quem Arrius Dosennus ficto nomine scripsit, non puto, ante mensem Martium, ut nihil in Manilio sit morae, ad te perventurum. Duae personae in eo loquentes

inducuntur: Marullus, vir callidus et facetus, qui Orbilium, novae cujusdam scholasticae, immo barbaricae disciplinae quodammodo praeconem, eo consilio adit, ut per obsequii simulationem ejus animum atque artes exploret; et ipse Orbilius, qui aesopicum corvum imitatus, dum, quae ad novam docendi rationem pertinent, omnia exponit, magnificisque verbis, ut ait Horatius, ampullatur, prava atque absurda quaeque imprudens patefacit, ac se, suamque sectam multimodis irridendam praebet (1). Epistolam ad Fabronium meam jam arbitror te legisse; fac igitur sciam, quanti illam aestimes: an, ut Granius dicere solebat, *non sextantis*. Judicium tuum, mihi crede, sic exspecto, ut avidius jamdudum nihil. Itaque te rogo, ut cum cito, tum diligentissime scribas. Vale et me ama. XI. Kal. Febr. MDCCLXXIX.

44. ALEXANDRO GEORGIO SUO S.

At ego, mi Georgi, latine posthac semper ad me scribas censeo, non tam quidem tua ipsius, quam mehercule mea caussa; tum si quando aut otium erit, aut aliarum rerum satietas te ceperit, Musarum quoque consuetudine te oblectes. Ita enim me Deus amet, ut nihil jamdudum libentius legi, quam eos versiculos, quibus abs te sum proxime provocatus. Quos quum etiam Clemens Baronius, ut forte apud me erat, vidisset: candorem ac vim maxime laudavit. Ac vim quidem in hoc genere tantum valere arbitror, ut plane, quod de actione ajebat Demosthenes, huic primas dem, huic secundas, huic tertias. Qua enim fere alia virtute

(1) Legitur in Volumine II. Actorum Vicetinorum ad annum MDCCLXXIX.

in satiris stat Horatius? acer est, efficax, succi ac nervorum plenus; ceterum humilis ac durus plerumque, ut vix numerum sentias; quem ego in epistola illa ad Bevilaquam (1) imitari sum conatus. Verum in epistola, quam dedi ad Malfattum (2), paullo amoeniorem stilum adhibere volui, eumque, qui interdum quasi attolleretur; in quo habeo luculentos auctores Algarottum, Frugonium, Bettinellium: nam in illo altero Chiabrera et Gozzius regnare mihi videntur. Parinius velnti medium locum tenet. Et tamen nihil difficilius inveni, quam illam carminis simplicitatem sequi, ad quam philosophia magis, quam spiritu opus est. Adde quod qui ejus pulchritudinem intelligat, vix unus, aut alter reperitur. Poetam enim, nisi qui furat, neminem putant. Sed valeat sane vulgus; mea haec etiam sine furore satis magna est insania, cui tamen (atque ob id ipsum insania est) non possum non indulgere; ita me allicit atque attrahit. Quid igitur faciam? non scribam omnino versus? ne nunc quidem, quum lacessor ultro? an potius ita me comparem alere morbum desinere? Faciam, opinor, si potero. Nunc habe tibi brevem hanc epistolam; qua versibus tuis respondeo, serius profecto, quam par erat (3). Tu scribes quid sentias, nec illud omittes Quintilii: *corrige hoc et hoc.* Id ut facias, vehementer etiam atque etiam te rogo. Eadem opera aliquid addes de libello ad Fabronium; nihil enim scripsisti, nisi te putare, me ubique verum dicere: quod quidem permagni aestimo. Sed nec signum tuum litteratum, quod ego Maecenatis vel

(1) Vide Vol. VI. pag. 197.

(2) Hanc invenies in Vol. II. Ephemeridum Vicetinarum ad an. MDCCLXXX.

(3) Ea relata est in septimum Volumen Ephemeridum Vicetinarum ad annum MDCCLXXIX.

sphingi, vel ranae praefero, ita omnia in vero ponit, ut non etiam perspicuitatem orationis commendet (1). Dic igitur et de hac, et de stilo universim. Quod si laudabis, incendes; si melius monstrabis, erudies. Nunc ipsum accepi a Malfatto; facetissime scripsit, immo hilarius, quam solet. Nonnulla de versiculis, et quae maxime vellem; quaedam de puellis, quae illum semper mirifice disertum faciunt; multa de Marcellino, deque ejus amica; homo enim jucundus ultro istum ad Chloen nescio quam adduxit, ut communes amores ad eam ambo exercerent. Vide, inquit, ne in pejorem partem haec rapias. Ego vero in optimam; video enim, Malfattum et germanum esse Platonis discipulum, et nihil non dare amicitiae, ut qui nec illud exceperit, quod tam anxie deprecatur ad Lynceum scribens Propertius. Nam quod Marcellinus eadem nunc, qua Malfattus, captus sit forma; ita profecto oportuit, siquidem et ille eruditos oculos habet; cui enim dubium esse potest, quin sobrinus meus elegans semper harum rerum spectator atque aestimator fuerit? Itaque Chloen istam nec rufam esse arbitror, nec caesiam, nec sparso ore, nec adunco naso, ut illam Phanocratae filiam, quam quum Chremes vellet Clitiphoni dare, *heu*, inquit, *non possum*, *pater*. Sed nec eam esse arbitror Chloen, quae zelotypi viri reditum usque timeat. Quid si enim huc afferatur, Malfattum meum amici caussa integram noctem in arca conclusum exegisse? Nae ego perbellam ὑπόθεσιν haberem. Etsi malo dictum, quam amicum. Puellis nostris propediem eas litteras legam, quamquam non totas; habent enim quae, Sanadono judice, expungas. Plane homo calebat, quem tu

(1) Georgius signum sibi faciendum curaverat, cui erant insculpta verba haec: *Veritas et perspicuitas*.

quaeso, quando tricesima sabbata non longe absunt, fac, ad meliorem frugem convertas. Testam nostrum suavissimum etiam atque etiam saluta verbis meis; cupio autem scire, quod ad tempus Florentiam sit rediturus, ut Horatianae epistolae exemplum ipsi per Mezzerium eurem. Amo ejus ingenium, atque amorem in me singularem. Ferrius nescio quid litterularum ad me dedit. Sed heus tu! quam mox Labbaeum, et imagines istas mittis? Vale et Vannettium tuum ama. III. Id. Mart. MDCCLXXIX.

45. IOH. BAPTISTAE GRASERIO S.

Attulit mihi Cobellius Orationem tuam, quam ipso audiente statim legi. Quando igitur, quid sentiam, scire cupis, quum duae res sint, quae in quoque scripto potissimum spectari debent, inventio et elocutio; quod ad primam attinet, magna profecto laude digna mihi videtur Oratio tua, quae nova quadam laudandae Virginis ratione excellat: quod vero ad alteram, diserte quidem scripsisse te judico, sed parum latine. Scis autem, hoc quum dico, quid velim: neque enim unum aut alterum verbum reprehendo, quae mutari certe possunt; sed ipsam complexionem conformationemque Orationis. Ita enim pleraque omnia extulisti, ut e patrio sermone paene ad verbum conversa esse videantur. Quod ego nimia festinatione factum arbitror; verum necessario festinanti venia facile datur: non item, quae festinantei scripseris, sponte edenti. Quapropter, si edere in animo habes, auctor tibi sum, ut dictionem diligenter castiges, atque alium quemdam ambitum aliamque formam inducas. In quo quem sequaris, habes Marcum Antonium Muretum in Oratione, quam de D. Johannis laudibus scripsit; quem tu, quaeso, quoniam

sententiarum et acumine et copia vincis, fac, ut sermonis integritate saltem exaeques. Vides nunc jam, supervacuum esse quod mandaras, ut quae minus latine dicta mihi viderentur, tibi monstrarem, vel etiam ipse corrigerem; neque enim tam in verbis peccas (loquor ut existimo), quam in toto genere dicendi. Itaque Orationem tuam nemo ad sanitatem perducere potest, praeter te ipsum; quam ego si carptim emendare vellem, inconcinnum quiddam ac dissonum existeret, ut nullo jam modo ferri posset. Quis enim scriptum ferat non eodem stilo, nec uno tenore fusum? Haec si ad te paullo severius scripsi, seias, me aegrum scripsisse. Nam xv. Kal. Majas cum post mediam noctem e lecto surrexissem, cogente alvo, rursusque jam spondam ascenderem, lodicula ipsa impeditus, retro revolutus sum: ibi diffractum vas, super quod corrueram, laevum mihi femur tantum non dilaniavit, certe magno vulnere affecit; quod tamen, quum os nullum attigerit, nec periculosum, nec noxium futurum est. Verum interea decumbendum est, atque ovis et aqua victitandum. Jaceo autem in suburbano, quo paucis ante diebus commigraram. Febri quidem plane careo, nec doloribus crucior; dies vero, qui sane longi videntur, partim accipiendis amicis, partim legendo ac scribendo transigo, ut queo, quando ut volo non licet. Tu igitur vide, ut festivas ad me litteras mittas, et quae animum ab aegritudine quam maxime avocent. Vale. VIII. Kal. Majas MDCCLXXIX.

46. JOH. BAPTISTAE GRASERIO SUO S.

Nae tu, mi Graseri, bellum munusculum ad me misisti, de quo plurimum te amo. Ac sciebam quidem Michaelerium istum doctum esse hominem; ingenio atque

elegantia usque adeo excellere nesciebam. Itaque narro tibi, quum ejus libellum de Ovidio et Catullo bene mane deambulans legerem (dimisi enim jam medicos), identidem non poteram admirari satis, non quin plura irrepserint, quae transalpinum hominem ostendant: nemo enim gentis suae indolem plane dissimulavarit; sed tamen eo acumine eaque orationis subtilitate scripta sunt pleraque, ut nihil umquam viderim melius, quod quidem ab istis partibus profectum esset. Nam praeterquamquod rem ipsam et dilucide explicat, et perite, habet etiam profecto in quibus eum cum his nostris non dubitem comparare. Quod si quaeris, de quaestione ipsa quid sentiam; ego vero non possum, quin isti assentiar, qui quidem illud verissime posuit, Ovidium vel maxime pueris placere, quippe qui ingenii copia, et quasi luxurie capi soleant; viris autem acri judicio praeditis non raro ineptiorem ac molestiorem videri. Quod ipsum in me sum expertus, nec enim te latet, quantum olim hunc poetam, praesertim in Elegis, amaverim; ante, scilicet, quam Catullo caeterisque operam darem; quibus demum perlectis, nimia illa facilitas immodicaeque divitiae satietatem parere coeperunt, quod in suavissimis cibis Tullius fieri solere dicit. Laudo igitur Michaelerium, quod et in Ovidio, quae alii potissimum probant, vitio potius, quam laudi danda esse demonstret; et in Catullo plures virtutes patefaciat, quae vulgo aut ignorantur, aut etiam, tamquam vitia stultissime reprehenduntur. Nam quod libello sane optimo quaedam Cunichii et Zamagnae carmina adjungenda censuit; nihil opportunius fieri arbitror potuisse. Subjecit enim Catullianae imitationis pulcherrima exempla, quae ejus opinionem magis ac magis confirmarent. Sed satis est. Ego, ut promiseram, nescio quid nugarum ad te mitto, de quibus tamen jucundum

erit, si, quid sentias accurate perscribes. Addo autem et epistolam ad Vincentium Montium ipsius rogatu scriptam (1), ut quosdam imprimis Romanos poetas defricarem, ingeniosos quidem illos, nec plane despiciendos, sed qui ampullis praeter modum delectentur, ac sese ridiculo quodam furore ultra recti fines provehi patiantur. Horum luminibus, qui nuper in Arcadia paene soli regnabant, Montius meus quum primum Romam venit, verissimo ejus carminum splendore obstruxit. Sed quoniam gestit totam hanc malorum poetarum sectam solido opere exagitare, nec vult tamen sua sponte hanc pugnam suscipere videri; scripsit ad me, ut aliquid ad se pangerem, quo rite provocaretur. Haec igitur exarsvi, sic, ut unamquamque rem attingerem, non pertractarem. Non enim eripere, sed praebere scribendi materiam volui. Vale. IV. Non. Julias MDCCLXXIX. Ex Suburbano.

47. FERDINANDO STERZINGHERIO S. (2)

Quod serius respondeo humanissimis tuis litteris, quae una cum *Monumentis Boicis* mihi sunt redditae, velim tibi persuadeas, non negligentia aut oblivione officii mei id a me factum esse. Verum quum haec accepi, non plane valebam; nolebam autem antea scribere quam aliquid ex ipso opere degustassem; quamquam enim nihil non praeclarum a te exspectarem, haud aeque tamen jucundas eas laudes tibi futuras putabam, quas ex amore potius quam ex judicio profectas suspicarere. Itaque quum primum per valetudinem licuit, libros tuos ita in manus

(1) Vide Vol. VI. pag. 189.
(2) Scripta est Lentorum Sodalitatis nomine.

sumpsi, ut et rerum genus, et universam rationem tuam studiosissime exploraverim. Ac ne forte putes, illos, quamdiu minus belle me habui, in tenebris jacuisse; scias velim, lectoribus nimio me peritioribus a me datos esse; Francisco, inquam, Saibantio avunculo meo, et Clementi Baronio Sodalitatis nostrae Censori, quorum alter in veteribus hujusmodi tabulis excutiendis diu multumque se exercuit atque omnino his studiis mirifice delectatur; alter etiam Vallis Lagarinae historiam egregio volumine complexus est. Intelligis jam, opinor, non tam meam me, quam horum ipsorum sententiam, quae tamen cum mea plane congruit, apud te pondus habere velle. Uterque igitur et Saibantius, et Baronius tuam in pat. um pietatem, studium tuum, laborem, judicium, industriam, sedulitatem in caelum ferunt, sicque sine ulla dubitatione statuunt, opus istud ad conficiendos rerum Boicarum vel accuratissimos commentarios immensi cujusdam thesauri instar esse. Quamobrem te etiam atque etiam magnopere adhortantur, ut porro pergas, et siqua adhuc in tabulariis misere latent, quo coepisti delectu in lucem eruas; fore enim, ut et ipse immortalitatem nominis tibi paries, et aliis etiam non levis assequendae gloriae praebeas facultatem. Reliquum est, ut quum duorum eruditissimorum hominum gratulationem ad te praescripserim, cunctorum etiam Sodalium verbis tibi gratias agam: qui quidem liberalitatem in se tuam, vel dicam munificientiam (munus enim misisti et mole, et ornamentis plane regium) usque adeo celebrant, ut quibus tantum debeant, sane paucos, certe cui plus debeant, quam tibi, neminem esse fateantur. Vale ac nos omnes meque imprimis mutuo dilige. IV. Nonas Julias MDCCLXXIX. Ex Suburbano.

48. ALEXANDRO GEORGIO SUO S.

Tu vero, nisi per medicos licebit, nec has litteras leges, nec quidquam ad me exarabis: des mihi modo hanc veniam velim, ut ad te scribam. Quum enim in eo fuerim, ut te amitterem, atque adeo jam luxerim tamquam mortuum; non dici potest, quanto nunc gaudio afficiar, quum tui etiam per litteras alloquendi facultatem mihi dari cogito. Ac primum tibi magnopere gratulor, quod summum vitae periculum evaseris; deinde etiam bene sperare te jubeo. Quum enim, ut nunc quidem est, omnia signa sint ad salutem; non video, cur istos audiamus, qui saeva quadam confidentia tristia quaeque vaticinantur. Sed tamen cura te, obsecro, diligenter, in eoque timidissimum quemque imitare: neque enim ad te solum tua pertinet valetudo, verum et ad nos omnes, qui incredibiliter amamus, et ad universam plane Italiam, quae abs te summa omnia exspectat. Atque illud imprimis cave, ne, nondum satis firmo corpore, ad libros atque ad subtiles istas commentationes te referas: atque etiam quum tibi visus fueris convaluisse, detrahe aliquid de pristinis occupationibus, atque uno verbo tibi parce. Mortuus enim nemini proderis; quod si vives, eo, quo cursum tendis, etiamsi serius, certe aliquando pervenies. Hoc unum igitur nunc cogita, in hoc uno elabora, ut vivas, atque ut te firmum ac valentem quam diutissime nobis conserves. Equidem nullum diem praetermittam, quin D. O. M. pro tua incolumitate vehementer rogem; quod quidem, ex quo minus vales, quotidie nec sine lacrimis feci. Sed haec hactenus. Epistolam ad Montium, quoniam quidem et tibi, et Malfatto suavissimo placuisse sciebam, in vulgus edidi. Itaque ejus exemplum huc tibi conjeci. Leges quum poteris, vel

potius quum voles. In quibusdam leviter immutandis Malfatto parendum censui, in aliis non item: quod, ipso libente, me fecisse existimo. Libellus ad Lastrium tuus valde Montio probatur; nondum autem in Acta Romana relatum esse ait, intercessore Gelasto Serlochii amico, stultissimo homine. Verum propediem aliquid in eam sententiam perscriptum iri significat. Haec pluribus ad te scribam, quum certo sciero, te sine molestia legere posse. Nunc, siquid ad me cogitas, vel per Malfattum certiorem me facere poteris, vel ipse Tironis alicujus, aut Alexidis manu uti. Valetudinem tuam, mi optime Georgi, etiam atque etiam cura. Vale, vale. VI. Id. Julias MDCCLXXIX. Ex Suburbano.

49. BARONIO SUO S.

Quod ad te, mi Baroni, sine praenomine scribo, intelligis, me in veteris amicitiae necessitudine permanere. Quod utinam aliquando in Italiam ad nos redeas: nihil mihi jucundius esset, quam pristinam illam consuetudinem nostram revocare. Nam quod scribis, leporem illum, siquis in te erat, qui certe erat maximus, temporum iniquitate perstrictum exaruisse; credo id quidem tibi, quoniam tam valde affirmas; verum sic arbitror, unam aut alteram congressionem nostram mirificam vim ad eum excitandum habituram; exaruit enim ad tempus, in perpetuum non interiit. Ego autem cum ipse sum hilaris atque alacer, ut etiam aliis demere tristitiam possim; tum multa in scriniis habeo et aliena, et mea, quorum lectio non dubito quin tibi, tamquam aegroto alicui, multum sit profutura. Neque enim velim putes, meas litteras toto hoc triennio conticuisse; immo vero plures libellos (sed libellos tantum, non

libros) in vulgus edidi, tum latino, tum patrio sermone scriptos. Verum nimia locorum longinquitate factum est, ut nullum a me acceperis. De Francisco Zeillerio loquutus sum heri cum principibus Academiae, quibus aequis ac morigeris sum usus. Mittam igitur Diploma; sed dubito, per tabellarios ne id faciam, an exspectem, dum aliquis istuc proficiscatur, cui recte dari possit. Tu me certiorem facies, utrum malis; nam si properas, per tabellarios censeo. Porro Zeillerium eruditum hominem ex ipsius libello cognovi; itaque ei gratulaberis vehementer meo nomine. Habeo nunc, quod abs te vicissim pro meo jure petam. Ostendit mihi nuper Horatius Pizzinius inscriptionem quamdam in hoc Praetorio ponendam, cujus auctorem Spergesium esse dicebat. Addebat etiam, de ea locanda brevi in consilio actum iri. Quam quum legerem, non potui sane non probare; sed tamen libido me incessit, ut experirer, an res easdem iisdem paene verbis (Spergesius enim optima elegerat) in breviorem ambitum contrahere possem, ut primo statim aspectu sensus in animum quasi incurreret. Perfeci igitur quod intenderam, quam feliciter, nescio; sed ex ipso Spergesio, viro amplissimo, cupio audire. Tu igitur eum adibis, atque inscriptionem, cujus exemplum adjeci, judicio ejus permittes. Intelligo equidem, quam sis impudens; verum si cum antiquis scriptoribus certare omnium suffragio conceditur; qui minus cum recentibus liceat? Scribes autem ad me quamprimum quid sentiat. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Fac valeas, mi Baroni, meque ames, quod mutuo facies. Phaedriam istic, quum haec scriberem, animam agere audiebam. Sero mehercle, ut malus civis; ut homo, sane maturius, quam vellem. Vale. De Iseriano. III. Id. Octobris; hoc est, tertio die, postquam

tuas litteras acceperam, quae diem habebant valde antiquam. MDCCLXXIX.

50. LAURENTIO S.

Scribo ad te, mi Laurenti, magis consnetudinis meae retinendae caussa, quam quod aut habeam quod epistola dignum sit, aut tu meas litteras valde expetere videare. Quum enim toties jam ego scripserim, tu litteram adhuc nullam misisti, valetudine, credo, impeditus; sed tamen vide jam, ne etiam pigritia. Scio enim, te non solum valere, verum etiam cum domo exire, tum caetera exsequi, quae valentes solent. Quare nolim te in hoc uno aegrotum agere. Nec mea magis id quidem caussa, quam tua: cujus plurimum interest hanc veteris sermonis quasi possessionem tueri. Scribe igitur jam, non multa, sed aliquid: scribe quod me delectet, tibi prosit. Bacchillum hic habeo, bonum adolescentem, quicum longissimas deambulationes conficere soleo, in quibus aut Catullus, aut Horatius, aut ejusmodi aliquis tertius semper accedit comes. Sed hodie complures nobis allati Senis sunt libri, qui nos paullisper ab illis abducent, ut fieri solet: in his Bertolae de Germanorum poesi; quem quidem uno spiritu vorabo. Atque eo magis, quod Diodorus se totum hoc opus excussurum scribit. Itaque non possum mihi temperare, quin hominis rationem diligenter explorem. Erret enim alicubi, necesse est, quem sic noster designet. Bellinius matris imaginem jam absolvit, cum inscriptione, quam subjeci (1). Nihil mihi est longius, mi Laurenti, quam ut tecum hic prandeam. Ravaneus suavissimus salvere te

(1) Eam habes in Vol. VII. inter *Inscriptiones*, num. 54.

jubet. Tu Fontanam medicum jubebis, quamquam obtemperabis ei quidem hoc tempore. v. Kal. Novembris MDCCLXXIX.

51. PETRO ANTONIO SERASSIO SUO S.

Et epistolam tuam jamdiu accepi, et proxime fasciculum librorum. Cur autem epistolae non responderim, facile potes existimare. Nam nec tibi, quem multis, iisque pergravibus negotiis distineri sciebam inani litterarum frequentia volebam molestus esse; et officium meum rectissime ad id tempus differri posse arbitrabar, quum libros quoque, quos mihi pollicebaris, accepissem. Nunc igitur, mi Serassi, te etiam atque etiam rogo, ut tibi persuadeas, nihil me uno tibi esse devinctius. Nec vero liberalitatem tuam tanti facio, quam profecto facio maximi, quanti doctrinam, elegantiam, humanitatem: quae in quo sunt, non possum, quin cum singulari complectar benevolentia. Sed quoniam non ea mihi ingenii copia est, ut studii in te mei magnitudinem exaequare facundia possim, non deteram exilitate: tu, qui et amantissimus, et gratissimus es omnium, non modo quam te amem, verum etiam quantas tibi gratias habeam, etiam me tacente, satis intelliges. Quod versiculos meos et tibi, et Balthassari Odescalchio tam valde probatos esse affirmas, vix credas, quanto gaudio sim affectus; quum enim judicium vestrum id sit, quo nihil limatius fieri possit, testimonio vestro nihil mihi esse potest honorificentius Quod vero me ad Tartarotti vitam conscribendam studiose hortaris, tametsi magnum mihi onus imponi intelligo, atque haud scio, an majus, quam meae vires ferant, faciam tamen aliquando, mihique facultatem potius, quam voluntatem defuisse videri facile patiar.

Persolvi litteris; venio ad munera. Ac quod complures doctorum virorum imagines misisti, video te de industria obsequutum esse cupiditati meae. Nam cum ea me semper delectant, quae pictorum arte continentur, tum, si habeant etiam aliquid a litteris, atque erudita sint, ita mihi jucunda esse solent, ut nihil magis. Istis vero imaginibus quid vel ad memoriam honestius, vel ad aspectum elegantius? quae et illorum referunt vultus, quorum et scriptis tantum, et sapientiae, et gloriae ad nos permanavit; et peritissimorum artificum opera studiosissime sunt expressae. Itaque etsi earum nullam non magni facio; quoties tamen in Alamannii, in Bessarionis, atque in optimi illius Senis Victorii faciem oculos conjicio, totis profecto medullis suavissime commoveor. Faernum vero quum video, egregium aliquod Parrhasii opus videre me puto. Quid enim forma, lineamentis, toto denique habitu magis graecum? Haec igitur bibliothecculam mihi meam exornabunt. Lazzarellii vitam, ut hominis nec indocti et perfaceti, libentissime legi, eamque diligenter ac polite scriptam esse arbitror. Serlochium vero sic plane hausi totum (1), quasi diuturnam sitim explere cupiens: quam perverse pleraque omnia, dii boni!, quam absurde, quam impudenter! Etsi aliunde id cognoram; sed meis ipse oculis videre gestiebam. In Petrosellinii Fabula, quae Telemachus inscribitur, multum inest ingenii ac suavitatis: sermones faciles, varii verique motus, versus ipsi dulcissimi. Odescalchii quoque poematium visum est mihi in suo genere quam nobilissimum. Itaque ipsi et gratulaberis meo nomine, et pro honestissimo illo Diplomate, quod in eodem fasciculo inveni, gratias

(1) *Consiglio ad un giovine poeta del signor Martino Sterlock Irlandese.*

ages. Nos hic Martinium nostrum in dies exspectabamus; quem quidem proximis tuis litteris, officii sane atque elegantiae plenissimis, quum haec scriberem, respondisse arbitrabar. Tu velim Taxum tuum urgeas, meque, ut facis, mutuo ames. Vale. Kalendis Decembribus MDCCLXXIX. Roboreti.

52. RAYMUNDO CUNICHIO S.

Jam tum, quum primum Homeri Iliadem latinis versibus abs te conversam perlegi, Raymunde Cunichi, vir praestantissime, tanta me tui admiratio cepit, ut sine ulla dubitatione statuerim, te cum caeteros interpretes industria, fide, veritate vicisse omnes, tum romanum illum, qui alter ab Homero dicitur, vatem majestate carminis esse aemulatum. Accidit postea, ut mihi Montius humanissimum tuum Sermonem, quem de mea quadam latina ad Petrum Serrassium, eruditissimum hominem, epistola habuisses, accurate perscriberet; quae res quum incredibili me affecisset laetitia, in animo mihi aliquandiu fuit litteras ad te dare, quibus significarem, et quanti te facerem, et quam in tuis esse cuperem. Verum me ipse aegre quidem, sed tamen repressi totumque consilium deposui, existimans fore, ut, si id facerem, levitatis cujusdam atque impudentiae notam vitare non possem. Jam qui usque adeo veritus fuerim te interpellare, ne et tibi molestus exsisterem, et aliis etiam ineptus viderer; quantum ab ea cogitatione abessem, ut me abs te ultro versibus provocatum iri sperarem, praeclare intelligis. Itaque quo animo, qua voluptate, quo gaudio Epigramma istud, quo Commentariolum meum de Georgii vita in caelum tulisti, et accepisse, et vero saepius legisse me censes? Tanto profecto,

quantum, si verbis exprimere velim, plane desipiam. Nam ut omittam, gratiora semper esse quae non speraveris; quid, quaeso, jucundius accidere mihi potuit, quam ut ab eo diligenter servatae latinitatis laudem consequerer, qui ipse latinam poesin ad graecae splendorem ac magnificentiam provexisset? quid porro honorificentius, quam ut cujus tuba poetarum omnium principis carmen per Latium diffusum esset, ejusdem ego lyra, si ita loqui fas est, celebrarer? O me fortunatum! O recte collocatos labores meos! O praeclare consumptas vigilias! siquidem tam magnos tamque diuturnos erant mihi gloriae fructus allaturae. Quamdiu enim Epigramma tuum in hominum manibus et litterarum luce versabitur (facit autem et summus ipsius nitor atque concinnitas, et auctoris nomen apud omnes clarissimum, ut semper versaturum esse videatur), tamdiu Commentarii mei fama vigebit; ut dicere non dubitem, plus paene tuo Epigrammati, quam meo Commentario debere Georgium. Tu autem, Cunichi, non mirabere, quod ad gratiarum actionem nunc demum veniam: quam quidem ego, nisi officium repugnaret, etiam omnino relinquerem. Vereor enim, ne, quae meae orationis inopia est, merita in me tua non tam persequi dicendo videar, quam elevare. Quamobrem, ne diutius frustra te teneam, summa haec erit, me cum gratissimam tuae benignitatis memoriam perpetuo conservaturum, tum vero in te laudando, colendo, diligendo nemini, cujus singulare jampridem studium diligentiamque perspexeris, concessurum. Quod si non modo tu me ad mutuam benevolentiam invitasti, atque adeo attraxisti (nihil enim laude rapacius): verum etiam fortuna ipsa pluribus nos vinculis conjunctionis astrinxit, quum et iisdem ambo politiorum litterarum studiis dediti simus, et eodem patrono utamur

Balthassare Odescalchio, amplissimo ac virtutis ingeniique gloria florentissimo viro, in cujus fide nostra Occultorum Sodalitas est; te etiam atque etiam rogo, omni ratione perficias, ut ne quando mihi querendi caussa sit, me tantum tamque insperatum bonum paene simul adeptum esse et amisisse. Mane, inquam, in ista tua erga me voluntate, idque mihi frequenti epistolarum consuetudine, quoad per occupationes licebit, declara. Vale, ac latinarum litterarum decus, quod indignissime apud plerosque jacere vides, tuorum scriptorum elegantia fulci et tuere. v. Kal. MDCCLXXX. Ex Suburbano.

53. BARTHOLOMAEO BURGHIO S.

Etsi scripserim ad Pazzinium, me tibi hodie responsurum; tamen postea (quod sapientis esse ajunt) consilium mutavi. Verum noli, mi Burghi, tam longas a me litteras exspectare, quam ipse misisti; sive enim diuturna stili exercitatione, quae juvenilem luxuriem illam compescere solet ac circumcidere, sive etiam pigritia quadam, quae paullatim jam obrepit; quum olim longissimam quamque scriptionem maxime appeterem, nunc ita studeo brevitati, ut nulla omnino plus re delecter. Tu autem, qui, me auctore atque impulsore, nunc primum hanc viam ingressus es, ut aliquid latine per otium moliare, cave, in eo me imiteris, quod brevis sim. Quin immo quam potes latissime spatiare atque excurre; in hoc enim praecipue debes elaborare, ut commode eloqui possis quodcumque velis, ut denique orationem tuàm, tamquam ceram mollissimam, ad arbitrium formes ac fingas. Id autem quam saepissime, et quam plurima scribendo consequere. Ad Georgii vitam quod attinet, tu vero et honorifice de me sentis, quum me Cornelio fere

similem praedicas, nec ullam mihi injuriam facis, quod aliquando cum Tacito comparas. Verumtamen sic habe, me et Taciti Agricolam bis tantum in vita legisse, et universe ab ejus auctoris imitatione semper abhorruisse, non quia illum multimodis magni facerem, sed quia verebar, ne nihil imitari possem, praeter salebras et obscuritatem. Quod quidem his plerumque video accidisse, qui aut hunc, aut Sallustium exprimere voluerunt, quibus vitia ipsorum adhaesere sine virtutibus. Adeo verum est quod ait Horatius: *decipit exemplar vitiis imitabile*. Siquid igitur in illo Commentario e Taciti penu olfacere tibi visus es; aut ego in id casu incurri, aut certe tuae te nares fefellerunt. Ego enim id egi, ut simplicem illum, ac prope rudem Cornelii nitorem aliquo Ciceronis pigmento oblinirem, et quasi interpolarem. Et tamen sine molestia, aut calumnia ea semper scripsi, quae sponte sub acumen calami subirent. Epigramma tuum legi non semel, quod et nobile, et acutum existimo. Porro tabulas istas, quibus te antiquae Etruriae situm descripsisse dicis, siquidem editae sunt, libenter viderem. Exspecto mendorum indicem. Vale, mi optime Burghi, et me ama. Roboreti. Nonis Febr. MDCCLXXX.

54. LAURENTIO S.

Sacerdotium tibi quaestionibus rite solutis meritum tota domus gratulatur, an optat? illud quidem, si virtutem tuam spectes; hoc vero, si fortunam, quae quam incertos habeat casus, non ignoras. Itaque et cupio tua caussa, et exspecto, et timeo. Nam praeterquamquod id ipsum est incertissimum, benigno necne usuri simus in annorum tibi facienda gratia Pontifice: praeterea adeo impedita sunt nivibus alpium juga, ut quintodecimo demum die

Roma litterae afferantur. Et tamen octo dies adhuc habemus, quibus bene speremus; hoc enim intervallo certe aliquid fiet. Quid si hoc ipso die Montius rescribat? nae ego, siquid boni ille miserit, et exsiliam gaudio, et vel domo confestim mittam, qui te totum cumulet voluptate. Interim tamen fac te ad adversam fortunam fortiter pares; sic enim minus cruciabere, et siquid erit ferendum, feres, ut decet. Josephus quidem Cubius tibi amantissimus non praetermittit, quin quotidie visat, siquid novi (1). Hic commendatitias a me petiit: cui sane obsequar, et scribam, opinor, ad Clearchum. Tu tamen etiam Fabullo, et tuo et meo nomine fac illum commendes. Ego in polienda epistola totus sum scilicet (2); nosti autem quam sim morosus. Atque addidi etiam aliquot versiculos duobus locis; nam post formicae exemplum subiit animo cogitatio, Gozzii, Algarotti, Frugonii, ipsius Bettinellii mentionem commode fieri posse. Quod sane quum experirer, cessit ex sententia. Rursus alio loco ubi agitur de lima saepius adhibenda, occurrerunt exempla Lucilii et Cassii Parmensis negligentiam poetarum, eorumque dissimillimi Publii Maronis; quae quidem, nisi fallor, et si licet apud te dicere, perbelle inclusi. Caetera, ut dixi, expolio, sed hactenus, ne exteram; quod saepe accidit omnia moleste sectanti. Aeneida thuscis versibus ab Tornerio redditam tibi servo, etenim accepi cum Vicetinis Ephemeridis. Leges, ut

(1) Josephus Cubius Roboretanus in ipso aetatis flore phthisi consumptus est an. MDCCLXXXVIII. exeunte, quum Sodalibus Philippianis, qui Mantuae sunt, se paullo ante adjunxisset: cupidissimus plane discendi juvenis, et magna memoria; morum vero sanctitate praecipua atque insigni.

(2) Epistolam significat ad Vincentium Montium, quam habes in Vol. VI. pag. 209.

spero, libenter; nam opus est concinnum et muliebribus quoque cathedris accomodatum. Remondinii fasciculum quem dicas, nescio; sed arbitror Francisco Ravaneo inscriptum esse, qui quidem vir humanissimus istuc se brevi venturum ajebat. Eusebium te adire vehementer velim, cui multis nominibus obligatum esse me fateor; quod ipsi etiam atque etiam significabis, efficiesque, ut intelligat, me sibi esse gratissimum. Hoc idem Fabullo ostendes. Volanius, cui servus epistolam modo reddidit, te salutat (1). Haec ad te luciliano more exaravi, quum vix dum tuas litteras percurrissem. Nunc longiores illas, quas promittis, exspecto. Vale v. Non. Martias MDCCLXXX.

55. LAURENTIO SUO S.

Spero tibi, mi Laurenti, quotidie melius fore. Mitto ad te librum, quem hic, vidente et probante te, scripsi. Si jam febrim non habes, nec langues, et per medicum licet, poteris hoc te oblectare; quum praesertim non desint tibi nobiles anagnostae. Utinam brevi hac quoque Suburbani nostri amoenitate frui possis! ego quidem te propediem conveniam, sed valentem velim. Cura igitur, ut convalescas, et fac omnia. IV. Kal. Majas MDCCLXXX.

56. JOH. BAPT. GRASERIO SUO S.

Mitto ad te meum illud Commentariolum de Georgii vita cum epistolis, teque rogo, ut cum ipsum munusculum, tum diligentiam meam boni consulas; quum enim

(1) Joh. Volanius, cujus laudationem invenies in Vol. VII. inter Inscriptiones, num. 66.

ob impedita nivibus itinera heri demum exempla acceperim, non praetermisi, quin et officio meo, et tuae, ut arbitror, cupiditati continuo satisfacerem. Lege igitur, ac tametsi meum hoc rus adeo propinquum est urbi, ut me vel saepius die convenire possis, tamen scribe, quid sentias. Soleo enim, quum aliquid edidi, doctorum hominum judicia studiose colligere, atque inter se conferre: quo vel alacrior fiam, si mea probari cognovero, vel certe cautior, si reprehendi. Itaque scribe id, quod ipse legens apud te statueris: humanitatem atque amicitiam obliviscere; vel potius in eo ipso exerce, ut me moneas. Vale. Ex Suburbano. IV. Kal. Majas MDCCLXXX.

57. HIERONYMO FERRIO S.

Quum aliquid ad te jam jamque scripturus essem ac pro Oratione humanissime mihi missa gratias acturus, quam et summa cum voluptate legeram, et mirifice probaveram; oppresserunt me litterae tuae. Cujus quidem rei ut me pudeat, pigere certe non potest, quum ex hoc ipso intellexerim, quam me ames. Itaque facile patior, me in praesens, si minus voluntate ipsa, at officii diligentia abs te esse superatum. Quid, quod sic etiam celerius quam speraram, tuum cognovi de meo libello judicium? quod quum semper gratum futurum mihi fuerit, nunc fuit etiam jucundum. Quum enim Commentarium illud de Georgio et *nitidum* et *accuratum* appellas; id sane dicis, quo praecipua historiae laus continetur. Quidni autem mihi blandiar potius, quam inepto quorumdam more, qui crimina, ut ita dicam, pro laudibus rependunt, te accusem ac pravo favore in judicando lapsum esse contendam? Quamquam de nitore ipse videris: ad diligentiam ac veritatem quod attinet,

certe scio, me nec praetermisisse quidquam, nec temere affirmasse. Itaque magna voluptate nuper sum affectus, quum Commentariolum, quod de eodem Georgio familiaris ejus, et olim contubernalis Laurentius Barottus exaravit, legens (1), ita nos inter nos congruere viderem, ut nisi quod ille Ferrariae scripserat, ego Roboreti, ille patrio sermone, ego latino, ille strictum, ego fortasse plenius; alter alteri paene dictasse videri posset. Epistolarum quoque delectum non mediocriter tibi probatum esse gaudeo, in quo illud spectavi, ut et quanta esset in Georgio latinae orationis facultas, ostenderem, et lectoris tamen satietatem vitarem. Ac recte tu quidem de quaestione latina, deque iis, qui magna quaedam nomina, quam rationem sequi malunt; verum nolim in his Georgium reponas, qui si minus nostris argumentis acquiescere videbatur, id ideo fiebat, non quo aut Alambertii omnino, aut cujusquam auctoritati plus tribueret, quam par esset, sed quia propter incredibilem ingenii vim numquam quidquam (in his quidem rebus) satis exploratum habebat, semperque verisimilius aliquid requirebat. Nam quod scribis, nihil Buccio esse cum prudentia legum et fori, tollerem sane nomen injucundum et triste, si esset integrum. Puto autem, me ab Ephemeride descripsisse, ubi de Buccii libro (2) erat sermo. Qui enim alioqui in mentem mihi veniret Jurisconsultum appellare? Quamquam, ut in re levi, non ita valde laboro. Illud me male haberet, si quod alii insimulant, verbum quo tui moris imitationem per jocum exprimerem, minus latine confinxissem. Sed ego analogiam sequutus sum, tamquam certissimam normam: quumque in prologo menaechmorum,

(1) Adjunctum est ad calcem libri, qui inscribitur: *Prodromo della nuova Enciclopedia italiana.*

(2) Antonii Buccii de instituenda regendaque mente, libri tres.

cujus quisquis est, antiquus certe auctor est, festivissimas illas voces reperissem: *graecissare*, *atticissare*, *sicilicissitare*; a *Ferrio* item *ferrissare* rectissime duci posse sum arbitratus. Quid, quod Plautus in Trinummo, quamquam alio sensu, *charmidari* dixit, et *recharmidare* a *Charmide* sene? nonne id multo insolentius? Sed quorsum ista? non enim tu de me dubitas, sed potius de Georgio, quod scripserit, *linguae gallicae optime meritus* pro *de lingua gallica*. Verum τὸ *linguae gallicae* fortasse retulit ad συνώνυμα figurate, ut sit: *quem Geraudius scripsit de συνωνύμοις linguae gallicae optime meritus.* Tu locum, quaeso, relege (1): videbis, id esse orationis genus, quod apud latinos haud raro occurrit, praesertim in epistolis familiaribus. Et tamen, si contendas, Georgium dixisse, *bene meritum esse Geraudium linguae gallicae*, id quoque tueri ausim, modo concedas, dativo casu extulisse, non genitivo. Nam ut omittam inscriptionem quamdam a Grutero allatam, in qua legitur: *Licinia Faustina marito SIBI merentissimo sub ascia posuit;* etiam Plautus hoc verbum dativo junxit in Scena III. Act. IV. Menaechmorum:

Quando tu me bene merentem TIBI habes despicatui.

Video, quid sis responsurus: non, siquid Plautus semel, aut iterum dixit, continuo in gravi oratione id esse adhibendum, sed communi scriptorum consuetudini parendum esse. Quod quidem arbitror: verum, quum illud quaeratur, erraverit Georgius, nec ne, omnem dubitationem uno Plauti exemplo puto esse sublatam. At enim, quid si casu extulit patrio? tunc profecto, ut dixi, retulit ad συνώνυμα, non ad verbum. Neque enim temere mihi persuadere

(1) In tertia epistolarum Georgii et Vannettii, pag. 23, quas ipse Vannettius subtexuit suo de eodem Georgio Commentario, quod prodiit Senis anno 1779.

possum, quidquam Georgium non ratione fecisse. Vale, mi optime et disertissime Ferri, et me, ut facis, mutuo dilige. Ex Suburbano. Idibus Maji MDCCLXXX.

58. NICOLAO BELLAVITAE S.

Tu vero, mi Bellavita, venustos sane atque elegantes ad me dedisti versiculos, quorum similes si miseris, quoties paullum in scribendo cessaris, nae ego silentium tuum aequiore animo feram. Multa in his amanter dicta sunt, multa festive; nihil vero non dulciter ac latine. Itaque nescio, utrum tibi magis gratuler, qui tam bene scripseris, an mihi gaudeam, qui a tali scriptore laudatus sim. Quamquam fateor, te, siquid peccas, nimiis certe laudibus peccare. Nec vero me fugit, hanc esse poetarum consuetudinem, ut omnia libenter augeant atque exornent, dum perfectam, quam habent in animo, cujusque rei formam dicendo persequuntur; sed tamen vereor, ne tu in praesens hujus ipsius licentiae fines sis praetergressus. In quo quidem quum amoris magnitudine, non artis ignoratione peccaveris; id est profecto peccatum tuum, quod nec damnare audeat quisquam et ego amare etiam debeam. Amo igitur pro eo ac debeo, teque vehementer rogo, ut mihi, quem tantopere amas, hac una in re morem geras, ut latinis musis utaris posthac frequentius, ac tristitiam istam nescio quam, qua jamdiu laborare te scribis, quaeque, praesertim sine caussa, turpissima est, quum sit et litteris et virtuti ipsi inimica, omni ope ex animo ejicias. Quod quidem vel amoena ac jucunda scriptitando facile consequere. Vale. III. Non. Junias. MDCCLXXX.

59. CAROLO SCAEVARLIO S.

Nuntiavit mihi Marehcsanius, ae multo ante dixcrat Grascrius noster, te instituendae mecum epistolarum consuetudinis cupidissimum esse. In quo etsi intelligo, me abs te non mediocriter amari; tamen, quia non video, quid tibi vel utilitatis vel etiam praecipui oblectamenti ea res sit allatura, haud facile animum induco, ut morem tibi geram. Cum enim non eae sunt meae litterae, ex quibus aliquid magnopere discas, praesertim homo ipse doctissimus; tum omnia, quaecumque apud nos in vulgus quotidie eduntur, ex actis litterariis romanis, quae perferri ad te scio, cognoscere potes. Quid jam igitur restat, in quo tibi operam navare possim? aut quo pacto litterarum mearum inanitate non offendere? Accedit eo, ut uterque nostrum sit multis occupationibus impeditus, quo fit (nam de te quoque ex me conjecturam facio) ut tantum legere ae scribere ferme libeat, quantum necesse sit; supervacuus vero labor minus alacri animo suscipiatur. Quae quamquam ita se habere existimabam; tamen, ne inhumanior viderer, neve meum silentium secus interpretarere, aut etiam Graserium accusares, qui imperium tuum neglexisset, studium tibi meum his litteris testificandum putavi. Quod ut re ipsa declarem, quum primum certorum hominum istuc proficiscentium mihi erit potestas, recentes quosdam libellos meos ad te mittam. Qui si tibi probabuntur, magnum fructum laboris mei me cepisse arbitrabor. Cura valetudinem tuam diligenter. XII. Kal. Julias MDCCLXXX. Ex Suburbano.

60. IOSEPHO ANTONIO TARUFFIO S.

Si nulla mihi tecum, Taruffi vir clarissime, officii ratio intercederet, ac tuae dumtaxat amicitiae cupiditate adductus honorificis verbis ultro ad te scriberem ; tamen, quae tui ingenii tuaeque excellentis in omni genere doctrinae fama est, non mediocriter extimescerem. Nunc autem quum homo obscurus, ac nihil quidquam ad te meritus maxima tua sim devinctus humanitate, quumque tibi singulares gratias non modo habere, verum etiam agere debeam, atque ea praecipua hujus rei caussa sit, quod me meaque scripta gravissimo laudum tuarum testimonio et privatim saepe, et nuper etiam publice ornaveris; non mirum est, si animum plane despondeam. Nam uno, eodemque tempore et necessitatem tu quidem diserte scribendi ipso praeconio tuo imposuisti, et ademisti beneficii magnitudine facultatem. Quid enim jam ego dicam, aut quae tandem verba reperiam, quae non, si cum tuis in me meritis conferantur, prorsus levissima videantur? Itaque intelligo, magnum esse me in discrimen adductum existimationis meae, vereorque, ne qui elegantissima, copiosissimaque laudatione effecisti, ut aliquo in pretio apud alios essem, ipse me posthac in nullo sis habiturus. Quod si utilitati, quam officio mallem obtemperare; tacerem equidem, ac Montio nostro suavissime totam hanc provinciam demandarem. Verum quum ita statuerim, multo magis ingrati, quam infantis hominis notam esse fugiendam, facio quod possum, ut litteras ad te mittam, si minus facundas, at tales, quae animum, observantiam, studium, amorem tibi meum quam verissime testificentur. Urget autem me Montius, cui sane cum multis aliis nominibus, tum hoc maxime sum obligatus, quod et me tibi notum, et te mihi

benevolum fecerit; urget, inquam, crebris acribusque epistolis, ut hujus etiam alterius sermonis, quem ad eum proxime scripsi edidique, exemplar tibi mittendum curem. In quo etsi morem ipsi gerere mihi certum est; non pauciora tamen, nec minora sunt, quibus item prope deterrear. Nam cum ipsi versiculi ea sane carent imaginum vi, quae inflammati divinitus animi fidem facere solet, ut me jam evulgasse contra Horatii praeceptum poeniteat; tum argumenti genus nonnullum mihi affert timorem, ne Germanicorum, quos magni fieri abs te scio, poetarum acerbum quemdam hostem me putes; qui quidem timor recentibus etiam Montii minis mirifice auctus est. Ego vero, Taruffi praestantissime; nec eos contemno, nec omnino dignos existimo, qui a quoquam contemnantur. Sint sane dulces, amoeni, grandes, sublimes, ut captus est illius gentis; nihil contendo. Illud unum laboro, ne quum maxima sit inter germanicam nostramque poesim et sermonis indole, et hominum ingeniis ac moribus, et ipsa, prope dixerim, caeli natura, coloris, characterisque distantia; nostri poetae novitatis illecebris deleniti (quae praesertim hujus saeculi insania est) talium auctorum imitationi plus aequo indulgeant; ac dum aptissima quaeque transferre se et quasi acquirere nobis putant, plura etiam adsciscant, quae apud illos quidem venusta, tenera, lugubria, ampla, excelsa, subtilia, varia: apud nos autem putida, mollia, taetra, turgida, praecipitia, inania, uno tenore fluentia habeantur, sicque permixtam quamdam atque infuscatam scribendi rationem inducant, quam nec Germani agnoscant, et bene sentientes Itali respuant. Quod si in ea re oppugnanda vehementius quibusdam videtur studium meum fuisse, velim cogitent, primum hanc dare satirae omnium consensione licentiam, ut id, quodcumque reprehendendum jure

susceperit, absterrendi gratia, paullo etiam supra verum adaugeat exaggeretque, ac contrariis velut morbis contraria adhibeat medicamenta; deinde me, siquid peccarim, in eam partem peccasse tamen, quae et tutior multo esset, et salutarior. Haec si tu non aegre approbabis, et si eo animo sermonem leges, ut aliquid domesticarum litterarum amori, aliquid hodiernae perversitatis fastidio nescio cui, aliquid denique ipsi scriptionis generi remittas; videbor mihi magna sollicitudine liberatus. Ceterum ut severius objurgari abs te nolim, ita amice moneri non modo non recuso, verum etiam plane discupio. Is enim tu es profecto, qui cum propter incredibilem solertiam acerrimumque judicium, tum propter linguarum ac rerum scientiam maximarum, me et ab errore, si quo teneor, retrahere, et veram in viam compellere unus omnium optime possis. Quare si tua amicitia me indignum non arbitraris (quod quia opto, ita spero), noli me monitorum praeceptorumque tuorum opportunitate, qui est fructus amicitiae pulcherrimus uberrimusque, fraudare; et quoniam me tui similem reddere jam non potes, effice saltem, ut ne sim omnino dissimilis. Quod reliquum est, nihil umquam tam arduum tamque laboriosum putato, quod ego, si modo meae vires patiantur, non sim tua caussa libentissime stûdiosissimeque facturus. Da operam, ut valeas. VII. Kal. Aug. MDCCLXXX. Ex Suburbano.

61. PETRO ANTONIO SERASSIO S.

Tribus te volo, Serassi suavissime, *pax, nihil amplius.* Quum fasciculum hunc vellem Romam et cito, et tuto ad Montium proficisci; visum est tibi potissimum inscribere, quippe homini et noto, et Venetis Tabellariis, quibuscum

mihi res est, amicissimo. Te igitur valde rogo, ut simul acceperis, Montio reddendum cures, qui tibi meis verbis aliquid continuo ex eo mittet. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Martinius noster Callianum secessit in aestiva; sed totus nunc quidem tibi turget, quod jamdiu nihil scribas. Haeccine promissa? haeccine fidem? prope jam ut *maria Neptuni* conclamet, quemadmodum ille in Adelphis. Ubi se paullum remisit ira, fundit versiculos amatorio argumento, et quidem ad Bergomates feminas cives tuas. Id jam intelliges quum proximo anno (sic enim scribit Mulettius) domum veneris, ita omnes mulieres occupatas, omnes aditus praeclusos invenies, nam prorsus nihil reliqui facit; credo, quo te ulciscatur. Ego, ut soleo, rusticor hic in meo Suburbano, nec curis districtus, nec amoribus. Lego multum, scribo plurimum, sed promoveo parum. Vale, et me ama. VII. Kal. Aug. MDCCLXXX.

62. FRANCISCO SAIBANTIO AVUNCULO SUO S.

Mater jam convaluit ex brevi illo quidem, sed molestissimo pedum morbo. Etsi non pedes ei modo, verum etiam crura haud leviter intumuerant, itaque dolebant, ut nullo modo posset insistere. Is etiam alicubi se extulerat rubor, ut primo suspicionem attulerit ejus morbi, qui erysipelas graece dicitur. Accedebat dolor capitis, tussis, magna artuum omnium debilitas, requies nulla: tantum febrim non habebat, nec cibi fastidio tenebatur. Sed profuit magnopere cum sanguinis missio, tum assidua fomenta; quibus rebus et tumor resedit, et pristinus recessit dolor; quaedam nunc tantum superest levis, atque errans quasi admonitio, quam ipsam spero sudore prorsus ablatum iri. Haec tibi hodie bene mane; nam heri, tametsi Fontanae

responsum me multum levarat, tamen non quibam scribere prae sollicitudine. Nosti mollitiam animi mei, quam nolo nimium reprehendas; praestat enim sapientum omnium judicio, vel malo proprio molliorem habere animum, quam perpetûae tranquillitatis fructu duriorem. Tu, velim vicissim scribas, quid agant oculi tui, an etiam nunc lacrymis et crebro nutu bonos viros decipiant. Quid materterae suavissimae? quid illa pernicies ac tempestas baratrumque ficorum Albinus? etsi ab hoc quidem litteras exspectabam. Fasciculum hunc Martinio (1) per Marchesanium cures, rogo. Vale, et salve a nostris cum tota domo. Nonis Septembribus MDCCLXXX. De Iseriano.

63. FRANCISCO AVUNCULO S.

Ego vero Vicetinum fasciculum heri mane accepi, mirabarque, quis misisset, aut quo pacto Publicanorum manus effugisset. Ex eo tria exempla ad te mitto Plinianarum Epistolarum, quas quidem adhuc edidit Thuria. Nam septem etiam reliquae sunt, quibus alterum folium facile expleat. Has autem in proximas Ephemeridas differt. Nunc interea quas mitto, simulque prooemium, quo Plinium

(1) Balthassar Martinius Ripae Tridentinorum ad Benacum natus, decessit anno MDCCLXXXV. sexagenarius, quum annos bene multos Romae in Melinii et Furiettii Purpuratorum Aulicis versatus esset, haud exigua cum ingenii et eruditionis laude. Petrus Serassius quaedam veterum Etruscorum carmina ei dedicavit; Zaccaria vero Bettius in annotationibus ad Archii Poematia, et Hier. Tiraboschius in Historia litterarum italicarum mentionem ejus honorificis verbis fecere. Hujus praeter versiculos, exstat epistola de Commentario Fr. Zanchii Romae ab se invento; quae huic ipsi adjecta est in extremo volumine eo, quod Clemens Baronius de Rabus Lagarinis confecit.

defendi, tametsi jampridem, me ipso legente, audisti, tamen ipse percurras, rogo, ad meque quid sentias, quamprimum scribas (1). Nosti enim, in lectione multo esse firmius certiusque, quam in auditione judicium. Quartum exemplum adjeci, quod Ficedulae nostrae dares; scis, puto, quem dicam. Anagnostem praeclarum, cujus vox pomis et bellariis alenda est! Munusculum tuum ex Udinei librarii scrutis et quisquiliis gratissimum mihi est. Sed convenit, opinor, in hunc librum quod de persona ait vulpis illa apud Phaedrum: *O quanta species! cerebrum non habet.* Editio pulcherrima, versus, ut scribis, mali: Sibilliacianos et Vulpianos excipio; modo ne nominibus decipiamur. Quod scribis, Chrysogonum in pingendis pluteis sedulam operam dare, gaudeo, tibique ago gratias, qui haec nostra ita providisti, curasti, perfecisti, quasi esset res tua. Veniam autem (si apud matrem recte erit, languet enim adhuc a morbo) utique quo die jubes, hoc est III. Idus, ut libros digeram cum pueris litteratis, qui quin praesto sint futuri, non dubito. Tu modo magnum ficorum catinum fac pares. Non mihi quidem, inquam, sed illis. Josephi Antonii Taruffii epistolam, quam heri accepi, elegantiae ingeniique plenissimam, et quidem latine scriptam, non possum, quin tibi statim describam. Simul illud consequar, ut cognoscas, quam valde mea haec recens ad Montium epistola (2) viro doctissimo placuerit, et quam falso ad me scripserit Montius, quod ad Germanos poetas attinebat, Taruffium a me prorsus dissentire. Ille vero, mi avuncule, ita Germanos laudat, atque ita rursus vituperat, ut in summam nihil fieri possit sententiae meae

(1) Haec vide in Vol. II. pag. 65 et seqq.
(2) Eam lege in Vol. VI. pag. 209.

convenientius. Porro adjecit Elegiam quamdam a se olim confectam, nuper vero emendatam, stilo sane puro et grandi, atque inter Catulli suavitatem et gravitatem Lucretii quasi interjecto: sic tamen, ut Propertii spiritus interdum appareant. Hanc tibi legam quum venero. Diodorus nihil sane quod epistola dignum sit, nisi se, quum primum certorum hominum facultas erit, Testium et Celsum missurum. Effudi tibi nova, quae habebam, omnia. Matertcris, Medico, Laurentio, Cubio salutem. Oculis diligenter inservi; sunt enim sane difficiles: beneficium non dant, nisi acceperint. Vale, et salve a matre. De Iseriano VIII. Idus Sept. MDCCLXXX. Taruffii oratio expedita et facilis profluit; multum in ea caloris et sanguinis; sed verba quaedam non optima, nonnulla item poeticis propiora. Intelligas, hominem ingenii impetu feliciter ferri, nec quidquam aeque odisse, ac morositatem illam singula expendentium, ac se misere calumniantium. Ceterum sermo latinus est, et qui eos auctores exprimat, qui inter Augusti et Tiberii aetatem sunt interpositi. Haec, ne Laurentius noster acerbius aliquid in eum statuat; novi enim ejus aurium judicium quam sit severum.

64. CONSTANTINO LAURENTIO S.

Quum tuas litteras attulit mihi nepos, italicis epistolis impediebar, quominus statim rescriberem. Haec igitur tibi noctu exarabam, si forte cras aliquis proficisceretur. Mater jam recte valet, nisi quod paullo est etiam infirmior. Nam et vires, et corpus amiserat; adeo vehementer biduum ipsum doloribus jactata est. Itaque quid mihi animi fuerit, necesse non habeo dicere. Quod scribis, te in hunc annum omnem segnitiem velle abjicere; laudo equidem, et

si feceris, etiam mirabor. Nolim te in hoc Horatii esse similem, cui quum magna et pulchra minari esset solitus, quoties Tibur aut Tarentum peteret; postremo ad ingenium redibat. Elegantiam vero, quam sequuturum te dicis, numquam profecto assequeris, nisi omnino diligenter scripseris; quod eo dico, quia in tuis litteris quaedam erant, quae non satis probarem, quae te vitare, si velis, posse scio. Noli laborare, quam longas litteras mittas, dum elegantes mittas. Praeclare quidem Cicero, stilum esse optimum dicendi magistrum; sed ita scilicet, si cura adhibeatur, sine qua verborum volubilitatem assequi fortasse poteris, verae eloquentiae nitorem venustatemque non poteris. Verum querere, me factum esse morosum. De Sempronia sane callide, neque ego, quem tu versuti hominis loco habes, id adhuc inveneram. Quare tuo consilio posthac utar. Quamquam ejusmodi sunt illa scripta, quae nec recte vituperare, nec tamen bona fine laudare possim. Hac canis, hac lupus, ut ille ait: nosti autem quam haec tractatu sint difficilia, in quibus temperamentum quoddam servandum est. Te jam Goldonianis fabulis delectari valde me juvat, quas praesertim si ita spectes, ut cum Plautinis et Terentianis studiose conferas, statuo sic, te non plus voluptatis capturum, quam utilitatis. Goldonius quidem regnat in moribus, praeterea vix stat. Sed haec ipsa in Terentio magis ad naturam exacta sunt tamquam ad regulam. Audacior, et insolentior, et effusior Plautus, cui tamen vim comicam eam, qua Terentium carere Caesar judicavit, facile tribuas. In Goldonio complexio fere tenuis et nugatoria; catastrophe saepe preceps. His excellit Terentius. Sed quando Graserium habes magistrum, hunc audias censeo, quasi Phaedrum aliquem, aut Aesopum, de quo tam multa Cicero, non ultra scientiam tamen. Quod

attinet ad res meas, puto te omnia ex litteris ad avunculum cognovisse. Has si legisti, et si Taruffii quoque epistolam vidisti, non deest profecto tibi quod scribas. Vale. VII. Id. Septembris MDCCLXXX. De Iseriano.

65. LAURENTIO S.

Tandem a te litterae. Video, me aliquid profecisse, quum ea de re ad Cubium scripsi, quae cave putes, me joco dixisse. Eram enim tunc quidem iratior; sed nosti ingenium meum, et quam facile placari soleam. Itaque jamdudum tecum in gratiam redii. Quod quo magis intelligas, jubeo te huc quamprimum ad prandium venire. Nam praeterquamquod liberalitatem tibi meam ita in ficis et uvis volo ostendere, ut me Calabro illo hospite, quem describit Horatius, benigniorem dicas; sunt praeterea, de quibus serio tecum loquar. Nam huic Sophroniae, quam nosti, persuasi nuper, ut filium a Gymnasio isto abducat, ubi jam nihil boni discere potest; tibi latinis litteris imbuendum committat. Quid multa? mulier optima nihil antiquius habet, quam ut consilium meum, si per te licet, sequatur. Quin etiam ipsa ad me venit, rogans, obsecrans, ut te arcessam, atque ad se adducam; cupit enim plane transigere. Venies igitur, et quid sit conditionis, cognosces, et una mecum, quid puer didicerit, qui hic rusticatur, periculum facies. Tum reliqua pro re nata constituemus. Bettinellium quod legis, probo. Abundat et rebus et verbis, ut e nostris quidem recentibus neminem dixerim copiosiorem, splendidiorem ardentioremque. Sed in eo libro, quem de animorum inflammatione scripsit, se ipse profecto vicit. Tu tamen cavebis, ne longiores illos verborum circuitus de industria imiteris; nam cum ipse nonnumquam

fortasse in his peccat, tum vero permagni interest, utrum a natura sint, an ab arte. Aegre, mihi crede, haec ad te scribo, qui Bettinellium sic amem, tamquam me alterum. Verum ipsa amicitia, quae quidem inter bonos est, et virtute nititur, assentationem aspernatur, adpetit atque adsciscit veritatem. Itaque ipsi illi haec eadem scribere non dubitavi. Reliqua ex avunculo cognosces. Vale. XIV. Kal. Oct. MDCCLXXX. De Iseriano.

66. FRANCISCO AVUNCULO S.

Tu vero, nisi sudum fuerit, non saepe jam nobis de ficis gratias ages. Sed missa, quaeso, fac ista, ne toties rubeamus. Nihil enim tanti est, ut vel litteram unam, hac quidem caussa. Nam alioqui tuas litteras valde expeto, non solum quia facetae sunt, verum etiam quod significant te esse meliorem. Nec mehercle putassem, tam tibi molestam, aut tam diuturnam istam lippitudinem fore, praesertim quum jam remisisse videretur. Nunc quid chirurgi opera profectum sit, exspectamus. Horatii epistolam (1), de qua proximis litteris scripsi, interea ad te mitto, ut quum te in Bibliothecam cum anagnostis abdideris, diligenter recitari tibi jubeas, praelecto tamen Horatio ipso. Converti equidem quam potui accuratissime, rebus, ordine, imaginibus; addo etiam stili genere, quantum sermo noster patiebatur. Nam acriora quaedam verba, ac velut abruptos numeros de industria sum sequutus, quo propius ad Horatii vim et robur accederem. In quo fateor, me magnam gratiam habere bono illi Chiabrerae, qui primus hunc scribendi characterem Italiae ostendit. Quid, quod

(1) Septimam ad Moecenatem. Vide Vol. IV. pag. 219.

nihil ex ingenio addere volui, nihil mutare, nihil demere, nihil aliter efferre, nihil ne exaggerare quidem? Prudens me conjeci in angustias, unde vix pedem, ut ipse ait Horatius. Volui enim plane experiri, quid vel sermo noster, vel certe ipse possem. Itaque cupio ex te scire, quantum effecerim. Borgianellius sine stomacho legi non potest. Pallavicinius multo melior, sed licentiae tamen immodicae. Nemo autem adhuc Flaccum eo versuum genere, quos solutos vocamus, laudabiliter vertit. Nam aut hoc modo verti potest, aut plane nullo, utique in Satyra. Tres horas hodie mecum fuit Leonardus Carpentarius: multum de poetis germanis litigavimus, multum etiam risimus. Nihil illo festivius, nihil amabilius, nihil humanius. Prorsus jucunde diem sumpsi. Vesperi vero attulit Ravaneus Baptistae Archii ad me epistolam, ipsius quidem, ut arbitror, manu; nam omnino legi non potuit. Videor tamen ex uno aut altero verbo intelligere, valde humaniter scriptam esse. Nunc enimvero tuis illis pristinis oculis mihi opus esset, quorum in enodandis chirographis tanta erat solertia, ut Trombellianos facile superarent. De Phaenelonio valde te amo, de quo scribam quum legero. De Scaberia cura, obsecro, diligenter. Miseret me mulieris. Vale, mi optime avuncule. XIV. Kal. Oct. MDCCLXXX. De Iseriano.

67. FRANCISCO AVUNCULO S.

Non mehercle tam queo perscribere, quam reipsa Blanconii epistolis et erudior et delector. Jam si materiam spectes, quid, quaeso, his litteris, in quibus vivo, potest esse accomodatius? nihil enim ibi scholasticum, nihil aridum, aut spinosum; immo nihil, quod non ad illam beatissimam aetatem pertineat, quae optimorum latinae

linguae auctorum uberrimam uno quasi foetu copiam effudit. Nam illud imprimis propositum est Blanconio, ut ostendat, Aulum Celsum non Tiberii (quod vulgo existimatur), sed Augusti temporibus vixisse, eaque re in scriptorum eorum, quos aureos dicimus, numero habendum esse. Quod ille dum fulcit, atque omni ratione sic demonstrare conatur, ut nullus plane supersit dubitandi locus: thesaurum quemdam aperit amoenissimae eruditionis. Itaque cum Celsi ipsius conditionem, vitae genus, scripta, stilum caeteraque hujusmodi accuratissime persequitur, tum vero multa de ejus aequalibus et Romanis, et externis, eaque notatu dignissima in medium affert; de Asclepiade, de Musa, de Marcello, de Gallione, de Themisone ac de poetis Horatio et Ovidio, quorum doctas illas amoribusque florentes sodalitates ita describit, ut ipsi vidisse, atque interfuisse nobis videamur. Haec autem omnia eo sermonis nitore, ea copia, tanta festivitate, quantam non facile dixerim in nostrorum hominum quoquam reperiri. Quamobrem assentior Bettinellio, qui, homo alioqui in laudando minime effusus, has epistolas non dubitavit divinas appellare. Sunt plane ut dicit: argumentum habent nobilissimum, doctrinam incredibilem, florem eloquentiae et urbanitatis praecipuum, ut satis constituere non possim, utrum pondere vincant, an jucunditate; rebus, an verbis. Quas quidem si tu aliquando legeris, summam voluptatem capturum, si Tiro noster, etiam magnam utilitatem videor posse polliceri. Nullam enim omnino pagellam percurras, quin boni aliquid discas; nam ea quidem ingenii acie est Blanconius, ut non solum reconditis lucem dare soleat, verum etiam pervulgatis novitatem. Itaque saepe accidit, ut quum locum ex auctore quopiam notissimum afferat; in eo tamen id ipsum, quod omnes fugit, primus

animadvertat. His duodecim epistolis adjunctum est responsum Tiraboschii, ad quem illae missae sunt, humanissime sane scriptum. Fatetur autem vir hoc ipso, mea sententia, magnus, se, quum Celsum in Tiberii aetatem conjiceret, communi opinione abreptum erravisse. Una cum Celsianis accepi etiam Fulvii Testii vitam, quam nondum ne attigi quidem. Ad Celsianam septimam, haec quum exararem, perveneram, atque aegre ferebam, me tam bono libro tam cito defectum iri. Vale. Prid. Kal. Oct. noctu. MDCCLXXX.

68. LAURENTIO TIRONI SUO S.

(*Sic enim te appellandum censebat Georgius meus*)

Te nuper grammaticum et rhetorem, coquum etiam modo factum esse, vehementer gaudeo. Noli dissimulare: nam scripsit avunculus, te jam tantum profecisse, ut vel nova promere possis, atque adeo eximiam quamdam condiendarum uvarum rationem ostenderis, quae

Ante tuum patuit nulli quaesita palatum.

Perge sane quo ingenium tuum et natura te vocat, et quum ab uvis discesseris, fac ut in crustulis elabores. Sunt etiam quae acumen tuum exercere possint, cochleae, baccae, corna, pastinacae, cardui; quae si suaviter condire docueris, quis te non hujus saeculi Apicium dicet? Verum, mi Tiro, Blanconii ad Tiraboschium de Celso epistolas velim legas: satis scio, te, quum hunc Celsum de omnibus paene artibus scripsisse cognoveris, mirifice excitatum iri, ut quando et ipse Grammatica et Rhetorica plura exarasti, culinarium quoque aliquid excudas, quod te non modo polyhistorem, verum etiam polyphagum

testetur. Extra jocum, nego, Blanconii epistolis quidquam fieri pòsse disertius, doctius, venustius. Homo est acutus et egregie latine doctus; quod intelligi licet ex iis, quae de corrupto latino sermone (cujus rei culpam in Maecenatem et Ovidium praecipue confert) ac de voce *nuper*, cujus singularem in recenti alicujus obitu significando usum non adverterunt λεξικόγραφοι, verissime disputat. Caetera scripsi ad avunculum. Ego Platonis Dialogos legere coepi, eique lectioni locum reperi aptissimum, pratulum quoddam nemorosis undiquè collibus cinctum. Id terminatur antro, cui multa imminet quercus antiquo robore, et densissimis umbris. Ovidius si videret, numen inesse diceret. Eo te perducam, si veneris. Quamquam suspicabar, te in Nicolanum tuum cum Gubio secessisse. Quod si ita est, alias silvas, alios lucos, alias nymphas habetis. Scribite igitur, quid rerum geratis, quibus interdiu, quibus noctu comitibus utamini. Nostis enim quid dicat Cicero in Oratione, qua suum illum non coquendi, sed ut Enniano utar verbo, poetandi magistrum defendit. Valete. v. Non. Oct.

69. FRANCISCO AVUNCULO S.

Quas tantopere exspectabam Bettinellii litteras, tandem mihi sunt redditae. Ne te multis morer, Horatianam èpistolam ita probat, ut neget melius posse converti. Idem tamen adjungit, quum eam pluribus eruditis foeminis Veronae legisset, experiendi scilicet gratia, quodnam esset muliebrium aurium, quae delicatissimae putantur, de illo genere judicium, eas delectatas quidem esse stili novitate, sed ita, ut multo magis nostrorum poetarum splendore, numero, copia juvari se dicerent. Quod ex eo fieri rectissime

colligit, quia Horatii brevis illa, abrupta et vibrata oratio, quam ego referre conatus sum, recentium Italorum moribus sermonique minus conveniat. Accedit eo, ut poeta omnium difficillimus non mediocrem eruditionem requirat, quae quibus deest, iis saepissime aqua haereat necesse est. Itaque haec litterate magis scripta putantur, quam populariter. Summa autem est, Bettinellium omni ex parte probare lucubrationem meam, ne uno quidem excepto verbo; meque, ut simile aliquid edolem, quod addi possit in exemplum, vehementer hortari. Responsum quoque ad epistolam ejus de Lampilla gratissimum sibi esse affirmat, item sine ulla exceptione; mitto igitur Vicetiam hoc ipso mane. Litteras accepi etiam a Pompejo (1), quibus sententiam meam exquirit de quodam loco ex epistola Herus ad Leandrum, quam edere parat ab se conversam. Quid, si ne ipse quidem intelligam? nihil enim facilius. Commovit me epistola Laurentii gallice scripta, siquid judico, elegantissime, et more gentis ingeniosissime. Jam hic, velut alter Ennius tria corda se habere gloriari potest. Quid dico tria? immo quatuor, qui graece etiam sciat. Quare ei dices, me manus dare. Vale. IV. Non. Oct.

70. JOSEPHO CUBIO SUO S.

Velim mihi ignoscas, mi suavissime Cubi, quod tam sero litteris tuis respondeam; idque eo magis, quod silentii mei caussam afferre probabilem nullam possum. Itaque etiam major humanitas elucebit tua, si ei peccato veniam dederis, quod excusatione omni careat. Jam quid de tua epistola judicarim, et dixi pridem Tironi, et avunculo

(1) Hieronymus Pompejus Veronensis.

antea scripseram. Scilicet te eam viam ingressum esse, ut, adhibito studio, brevi possis excellere. Indolem enim ad latine scribendum praefers mirificam, quam, quaeso, tamquam deum aliquem seqnere. Video, te non, ut plerique solent, contentum esse iis, quae in vulgari scribendi usu versentur, sed difficilia dictu quaerere, et quocumque velis, orationem ducere conari. Qua quidem exercitatione, laboris et molestiae sane plenissima, nihil verius, nihil utilius. Si enim ea modo dicas, quae in promptu habes, exigua contemptaque verborum tibi erit supellex; sin vero ut quidque explicatu difficillimum videbitur, ita potissimum, ut plane eleganterque explices, laborabis; magnam te non scribendi tantum, verum etiam bene scribendi facultatem brevi consequntum esse intelliges. Perge igitur, et quam potes saepissime stilum exerce. His proximis diebus, a perpetuis conclusus imbribus, relaxandi animi gratia, in versum me conjeci, extudique nescio quid nugarum, quod tu, et Tiro (nam te quoque apud Tironem rusticari arbitrabar) sub arbore simul legatis. Quid si et ipsi *tenui avena* aliquid *meditemini?* erit id mihi quidem quam jucundissimum. In Horatii carminibus idem experiri coepi, quod in epistolis. Si quid effecero, videbitis. *Conamur grandia parvi*, atque adeo insani. Fulvii Testii vitam lego amoenissime a Tiraboschio scriptam. Dialogum Tironis vidisse te puto, quasi artis culinariae magistri. Videtur digna persona. Tu ad me scribes, quam bene te pascat, an (quod Ovidius de se) praeceptis suis minorem invenias. Locum ex epistola Herus sum Hieronymo Pompejo enixe petenti interpretatus. An satisfecerim, exspecto. In id argumentum, hoc est, in amores Leandri et Herus legi hodie poematium Musaei e graeco omnibus verbis expressum: non dici potest, quam suave ac miserum sit. Utinam eadem simplicitate Naso,

quae in luctu maxime dominatur! Sed ego Nasonem, *Senecam metro ligatum* appellare soleo. Cavillatur, lascivit, torquet repetitque sententias, et, ut Virgilius de sole ait, *sua se per vestigia volvit.* In eadem re nihil horum Musaeus. Vale, mi Cubi, meque mutuo ama. IV. Id. Oct. MDCCLXXX.

71. FRANCISCO AVUNCULO S.

Fatigatus sum scribendo; quartam enim jam horam sedeo. Testii vitam ad te mitto, hominis ita fortuna jactati, ut documento esse possit, quam incerta ac fluxa sint quae prima vulgus existimat. Ejus tamen epistolas quum legas, quas crebras Tiraboschius inclusit, ingenii amoenitatem, tranquillitatemque etiam animi quamdam et agnoscas, et admireris. Sed subitus ejus miserrimusque interitus sine indignatione legi non potest; constat enim, conflatum sibi esse aliena invidia periculum: quod quidem apud aulicos frequens est. Tu, si Celso in praesens das operam, Testium vel Cubio, vel Laurentio tradas licet. Ac de Laurentio velim meliora. Mitte mihi quatuor, aut quinque ex Ephemeridum Pisanarum voluminibus, nullo delectu, sed prout veniunt in manus, quo Curionis hujus famem sedare possim, librorum non helluonis, sed gurgitis (1). Solet enim, dum hic rusticor, pasci mea bibliotheca. Vale. X. Kal. Nov. MDCCLXXX.

(1) Is erat Johannes Petrus Muratorius, Ansuniensis, gentium notitia, et sacris litteris haud vulgariter instructus senex.

72. TIRONI SUO S.

Si jam vales, bene est: nos quidem valemus. Scribit ad me Feronia, virum suum decrevisse filium istuc mittere in disciplinam tuam, ea scilicet lege, ut operam ipsi des, vel semel die, si fieri possit, vel certe quater in hebdomade. Tu igitur me statim certiorem facies, an rem suscipias, et quatenus, quidque honoris pro ea re tibi postules. Ait enim se vehementer responsum exspectare, ut, si ipse recusaveris, aliud consilium sibi capiat. Verum equidem cur recuses, non video. Et tamen diligenter unumquidque expedias velim, ne necesse sit de eadem re toties; quum praesertim unis litteris transigi omnia possint. Cubius noster te aut vicit jam, aut brevi victurus est, nisi pugnaveris; nam eas litteras proxime ad me dedit, quae me in admirationem tantae indolis raperent. Peream, mi Tiro, si praeter te, et hunc sodalem tuum, quemquam istic habeo, de cujus ingenio vel in latinis, vel in nostris litteris possim mihi praeclari aliquid polliceri. Pergite sane, optimi adolescentes, atque inter vos cum benevolentia, tum studiis virtutibusque certate. Sed contrahenda sunt vela, et quotidiano sermone utendum. Quaedam his diebus ad Thuriam contra Thuriam ipsam exaravi, quae, ut spero, edentur, et quidem a Thuria (1). Legam vobis quum veneritis, mane scilicet, ne quid dubites. Reliquas Plinianas, si libet, ab avunculo petatis licet: nullum enim exemplum separatim etiam nunc accepi. Josephus Januarius epistolam de Hallerii laudibus ad me scripsit, et in libello ejusdem argumenti nuper edidit, sane mirificam. Versus modo

(1) Non a Thuria quidem, verum a Tiraboschio ea postea sunt edita in Actis Litterariis Mutinensibus. Vide Vol. XXIII. pag. 23.

durius, modo plenius molliusque conclusi; vis et insolentia in verbis quaedam non impudens; sententiae cum crebrae, tum abruptae; gestorum tanti viri belle distributa narratio; multae etiam, neque obscurae docrinae significationes. Quid multa? Horatium ipsum delectaret, si reviviscceret Hanc igitur veniendi caussam vel maximam habetote, ut haec videatis. Valete, meae carissimae animae. IV. Kal. Nov. MDCCLXXX.

73. FRANCISCO AVUNCULO S.

Humanissimas a Tiraboschio litteras accepi, cui quidem mei illi in Celsianas ad Laurentium versiculi mirifice sunt probati. Adjungit, nihil optandum esse magis, quam ut Blanconius, quos in iis pollicetur de Ovidii vita absolutissimos commentarios reipsa perficiat. Abest enim etiam nunc tantum opus litteris nostris. Sed quum illo nemo sit vel in scribendo tardior, vel Horatiani praecepti in edendo diligentior: quippe qui etiam Celsianas prope octo annos continuerit; magnopere dubitat, quo ejus promissa casura sint (1). Plinii Caecilii epistolas (quod ex ipso quaesieram) ab Antonio Todeschio ante tres et sexaginta annos conversas esse ait; easque Romae eodem illo anno primum, iterum Liburni multis post annis exiisse: quas quum olim percurreret, haud pessime conversas sibi esse visas. Bettinellium postremo sapienter facturum affirmat, si nihil praeterea in Lampillam edat; se quidem, simul ac postremum Historiae volumen in vulgus prolatum fuerit, in quo

(1) Blanconius excessit re infecta. At id damni pro virili parte nobis sarcire studuit Carolus Rosminius Roboretanus, eruditissimo de Ovidii rebus ac scriptis Ferrariae edito libro sub exitum anni MDCCLXXXIX.

non pauca, quae homo iracundus perperam in suis libris effudit, refutare coactus est, thesaurum quemdam conviciorum ab eo exspectare, sed a proposito tacendi non discessurum. Januarii ad me epistolam propediem videbis (1). Sed et ea Hallerii laudatio, quam ad Germanos habuit Albergatus, tametsi non ita copiose, neque ita magnifice scripta sit, planeque ad subtile genus illud pertineat, quod Atticum vocant; tamen est eleganti philosopho dignissima. Hanc Fontana noster vel libentissime legerit; a quo quidem Blanconium scio merito in caelum ferri. Laurentio dices, me de re sua, non secus ac de mea, diligenter scripsisse ad mulierem. Commentarius Saccensis pedetentim meo more, sed tamen procedit: vix credas, quanto mihi in ea re Vasarius sit usui. Vale, et me ama. Kal. Nov.

74. LAURENTIO SUO S.

Incredibile est, mi Laurenti, quantum jam in Grammaticis nomen habeas, et quam te suis filiis parentes magistrum expetant. Quod quidem si negem, mea ipsius praedicatione magna ex parte accidere, inepte mentiar. Ego vero non modo non nego, verum etiam prae me fero, atque ut gratiam mihi aliquam in eodem genere referas, in quo sum de te bene meritus, meo jure abs te peto. Referes autem cumulatissime, si Johannem Calvaneum Iseriensem, optimum mihique carissimum adolescentem, rhetoricis disciplinis imbuendum susceperis. Is vel domum tuam, vel

(1) Eam scilicet, quam de Hallerii medici laudibus ad Vannettium etruscis versibus scripsit Josephus Januarius patavinus v. cl.; quae relata est in volumen ita inscriptum: *In morte del Grande Alberto di Haller ec. Padova MDCCLXXX.*

quo jusseris, ventitabit, nullaque in re molestus tibi erit: quin etiam, si voles, una cum Julio cum crudies. Equidem, quum ejus frater mecum de ea re vehementer ageret, illudque imprimis urgeret, ut quam minima impensa id fieret; sum ipsi de te liberalissime pollicitus. Scribe igitur statim, quid mercedis in singulos menses tibi poscas; in quo ut aequum ac benignum te praebeas, facile animum induces, si cogitabis, tuum esse meam fidem liberare. Quanta enim tua humanitas fuerit, tantum me apud te posse Calvaneus putabit (1). Vale. IV. Non. Nov. MDCCLXXX.

75. FRANCISCO AVUNCULO S.

Frugonii vitam legi scriptam non tam amice, quam ingenue, quum hominis fervidissimi vitia aeque, ac virtutes in lucem proferantur: quem quidem Rezzonicus cum Pindaro et Horatio comparans, quo ipse sit ingenio, et quanta in his rebus intelligentia, satis ostendit. Legi etiam ejusdem, atque adeo uno spiritu hausi haud ita brevem de Italica Poesi Commentationem, in qua illud sibi propositum est, ut per quos poetice apud nos ceciderit, per quos restituta sit, commemoret, ut metri genus, quod latino hexametro respondet, et *solutum* appellamus, caeteris omnibus numero majestateque praestare convincat, idque ab Frugonio maxime perfectum fuisse dicat; ut philosophiae fontes in versus deducat, atque alium quemdam poeticum orbem ex eadem philosophia descriptum graeco

(1) Hic postea, natura impellente, picturae operam dedit Veronae, mox Venetiis lineari scalpturae; quo in genere multa eleganter expressit vel suo ipse ingenio, vel ex archetypis: inter haec Villam Sabinam Horatii Flacci, quam Vannettius duratis in virgas coloribus pinxerat.

huic, qui e fabulis sit concinnatus, sufficiendum ostendat; denique ut genus poesis heroicae ac paene tragicae, quod ab Ovidio in suis illis epistolis inventum, vel potius elimatum Galli nuper felicissime excoluerunt, tamquam latissimum campum nostris ob oculos ponat, ubi non tam ingenii colores, quam validissimos quosque animi motus explicare possint. Haec ille, quae ut universe probo, sic aliqua ex parte non plane firma neque utilia esse reor, et precipue quod ait de orbe poetico commutando, qui quum in iis rebus versetur, quae oculis subjiciantur, poesis autem pictura sit loquens, sapientissime est a graecis excogitatus. Nec vero si prodigia illa Graecorum nullam nunc habent fidem, continuo abjiciendа sunt; et quidem nemo erat vel Athenis, vel Romae paullo doctior, quin talia omnia rideret. Verum si res ipsae vanae atque falsae, si nullae Musae, nullus Apollo, Charites nullae; at plena sapientiae, quae sub hujusmodi figmentis intelliguntur. Haec igitur spectemus, nec tantum aut Rezzonico, aut Rollinio, aut cuiquam tribuamus, ut pulcherrimam poeticae partem, quae mysteriis continetur, dimittamus. De his scribam propediem ad Bettinellium diligenter. Ceterum Rezzonicus cum multa doctrina scripta sua sane illustrat, tum eo stilo exornat, qui, siquid peccat, nimia fortasse luxurie ac nimiis deliciis peccat, ut poetam interdum metro solutum legere existimes. Quae ex matre quaerebas, de iis tibi conjecit schedulam in epistolam, quam dedit ad sororem. Huic a me salutem dices, itemque Laurentio. Vale. VI. Id. Jan. MDCCLXXXI.

76. TIRONI SUO HUMANISSIMO S. P.

Quid hoc esse dicam, mi Tiro, quod saepius jam valetudine tentaris? vide, quaeso, ne aut vehementius, quam natura tua patiatur, in studiis elabores, aut nimis multa simul avidius amplectare, aut etiam, quum sis tantopere occupatus, largiore interdum utaris cibo. Quare de his omnibus tantum, si sapis, imminue, quantum ad tuendam valetudinem opus esse intelligis. Fac enim tibi persuadeas, id, quod ait Cicero, hanc nulla re magis sustentari, quam notitia sui corporis, et fuga earum rerum, quae noceant. Equidem ut te rursus in morbum incidisse audivi, vehementer indolui, atque ex discipulis tuis, qualem te reliquissent, quidque medico visum esset, diligentissime quaesivi. Sed acceptis avunculi hodie litteris, omni cura sum liberatus; scripserat enim, te jam febri carere. Quod quam mihi jucundum sit, etiam sine epistola, animus in te meus, quem multis, opinor, rebus perspectum habes, non sinit te dubitare. Noli igitur, quia Themisones, aut Antonii Musae non simus, monita nostra aspernari; quin ea hoc veriora existima, quod ab amicissimo homine proficiscuntur. Dimitte autem paullisper graviora, dum te plane confirmaveris: aut si omnino nihil agere non potes (novi enim te similem mei), exara ad nos aliquid litterularum, vel hoc sermone (quod malim), vel etiam patrio: scribe quid de hac epistola sentias, quam nuper Quintus Horatius ex Acheronte ad Augustum dedit, atque ille quidem nostra lingua, sed nescio, an ea, qua latine solebat, vi ac venustate (1). Quamquam audio, et avunculo, et Graserio, et Clementi Baronio, et Bettinellio versus illos valde

(1) Vide Vol. VI. pag. 231.

esse probatos, atque adeo Graserium ita commovisse, ut ipse statim latinos nonnullos ad suppositum illum Horatium scripserit, quorum exemplum tibi misi; videntur enim mihi optimi, dignique, qui Elysiarum arborum corticibus insculpantur (1). Quid, quod Horatius, vel Graserio jam respondit? habea responsum. Mira narravi, sed tamen vera. Argumento erit, te melius valere, si thusce; optime vero, si latine ad me scripseris. Cura, ut valeas, teque nobis studiose custodias. Salutem dic Carolo et Julio Roaminiis, solertissimis fratribus, et Cubio meo, quem fortasse propediem arcessam, ut Baronium meum describat, quem quidem non sine magno labore, tuo praesertim consilio, reconcinnavi totum. Orationem tuam pluribus locis expolivi, te ipso (ut spero) non aspernante. XI. Kal. Febr. MDCCLXXXI. Quos misi versus, cave, cuiquam ostendas, nisi Cubio, cui recte quidvis concredi potest.

77. TIRONI SUO S.

Nihil habeo, quod ad te scribam, nisi illud, te a me a. d. VII. Kal. Mart. certo exspectari; atque adeo nulla mihi scribendi alia caussa est, nisi ut te dubitantem cunctantemque sollicitem. Plura nuper pro Taxo exaravi, quae postulant judicium tuum. Quis enim hunc poetam aut vehementius diligit, aut studiosius legit, quam tu? Plauti quoque Trinummum, quam fabulam Parmenses in nostrum sermonem novo quodam metri genere converterunt, egeruntque antiquo ritu ornati, cupio tibi ostendere; italicos enim cum latinis versibus conferentes, ac menda, quae

(1) Prodierunt Mutinae anno MDCCXC. cum caeteris Graserii poematiis, quae ejus vitae Vannettius subjunxit (pag. 56.).

sane multa magnaque irrepsisse video, certatim notantes, diem suavissime, nec sine aliquo fructu consumemus. Nam Goldonium et Molierium ad noctis oblectamentum reservabimus. Propera igitur, et vale. IX. Kal. Mart. MDCCLXXXI.

78. TIRONI SUO S.

Quum Sabinam Horatii nostri Villam praeteritis diebus pinxissem, quoniam ejus situm ac formam ex ipsius (ut nosti) carminibus fueram imaginatus; experiri volui, an quae in tabellam e latinis undique excerptis versibus transtuleram, eadem rursus patrio sermone ita includere versu possem, ut aliis etiam additis rebus, quae una tabella comprehendi nequiverant, perpetuum quoddam atque absolutum de Horatii Villa carmen existeret. Ut igitur pingens poesim expresseram, sic poesi picturam subsequutus sum, illudque imprimis egi, ut appositissima quaeque ad ruris amoenitatem eligerem, et cum multa huc traherem, quae sibi visa, factave Horatius festive fingit, tum vero pastores, nymphas, caeteraque sylvarum numina inducerem, quae si absint, sylvae ipsae vasta quadam solitudine, ac prope viduitate lugere mihi videntur. Aequum autem profecto erat, ut nemini alii carmen inscriberetur, nisi Bettinellio, ad quem lacessiti ipsam tabulam mittimus. Quo magis elaborandum nobis esse censuimus, ne talem poetam inconditis plane versiculis moraremur. Nunc igitur, id ipsum metuens, rem omnem tuo et avunculi judicio permitto. Confer, quaeso, epistolam cum tabella quemadmodum quidque explicarim; quomodo etiam ornaverim, vide. Et quoniam opus Mantuam propediem profecturum est, vel discipulis, quos Horatio nunc dare operam scio; si libet, ostende, ita quidem, ut epistolam simul

legas, locosque, quos adnotavi, ex Horatio confestim recites. Quod si feceris, fortasse illos, quantum proficiant, non poenitebit: plura sane discent, quae ad ejus poetae, quem quotidie legunt, etiam indolem moresque pertineant (1). Calvaneum tuum, immo nostrum, tibi remitto, quem adolescentem, dii boni! neque enim satis constitutum habeo, utrum candidior sit, an ingeniosior, ad picturam, an ad litteras aptior. Ego illum, dum apud me fuit, ut potui, in utroque genere exercui. Salutem dic quibus soles, et ad me quid de his rebus sentias, continuo diligenter scribe. Vale.

79. FRANCISCO AVUNCULO S.

Calvanei litteris, quibus grammatica quaedam exquirebat, persolvi, eamque epistolam tabellariis, qui cras mane (scribo enim noctu) Tridentum proficiscuntur, des velim. Libellum a Pindemontio, an a Pompejo, immo ab utroque rediens istinc Ravaneus mihi attulit, lepidum sane mihique accommodatissimum munus. Sunt enim poematia graeca et latina in nostrum sermonem conversa, et pleraque quidem amatoria, velut Horatii, Catulli et Ovidii, quod videre potui pagellas dirimens; nihil enim serio etiam legeram. Itaque quid uterque praestiterit, atque uter utri praestet, ignoro. Horatii villam, in qua multum elaboravi, formam et situm agri ex carminibus ejus colligens, me cras absoluturum esse sperabam. Hanc Bettinellio mitto, qui pictorium aliquod opus a me non modo jam postulat, sed etiam flagitat. Volui autem ipso argumento majorem ab eo gratiam inire. Fontanam minus valere

(1) Hoc poematium extat in Vol. V. pag. 5.

moleste fero tum ipsius caussa, tum nostra. Nam siquid ei acciderit, ad quem ibimus? fac ergo sciamus quid agat. Graserium quoque salvum nobis quam diutissime velim, qui quidem vereor, ne in tuenda valetudine sit negligentior. Quare hominem (ut amicitia nostra postulat) etiam atque etiam monebis. Vale et sororem saluta.

80. FRANCISCO AVUNCULO S. P.

Quum vesperi rus pervenissem, rectissime omnia apud matrem offendi. Nunc autem villico istuc proficiscenti inanes quidem has ad te litteras dedi, sed quae tamen memorem me vobis atque officii diligentem ostenderent. Sim enim profecto ingratissimus, nisi gratias vobis pro vestra incredibili in me humanitate, liberalitate, jucunditate et agam et habeam maximas. Sed quo minus agam, orationis inopia fortasse impedior; quo minus vero habeam, non item. Sic igitur existimate, animum erga vos meum omnem verborum vim longe multumque superare; quod idem mater de se profitetur, quae etiam vobis lacta faustaque omnia pro temporis consuetudine precatur. Mitto Theodorum Villam de Eloquentia, quem Laurentius noster, siquidem plus aliquid discere cupit, diligenter leget. Nec vero ille tam oratorem, quam scriptorem informat; quod nostrae aetati nostrisque moribus accommodatius puto. De universa eloquentia deque singulis ejus partibus rectissime et sentit et praecipit; recondita multa profert, enucleat, nonnulla etiam in hoc recentes Polliones ac Maecenates inspergit peropportuna; nitidus est, apertus, rectus, gravis: aliquando et amoenus; Ciceronem vero ita laudat, ut nemo uberius. Omnino dignus est, qui magistrorum cathedras pervagetur. Vale cum sorore suavissima. MDCCLXXXI. XV. Kal. Majas.

81. FRANCISCO AVUNCULO S.

Quod medici consilium amantissime ad me perscripsisti, gratissimum mihi fecisti. Exspectabimus igitur hos aliquot dies, dum meliora nuntientur; nam omnino hic manere haud placet, etiam mehercule matris caussa, cui me obsequi par est. Tum quid amoenius Suburbano, hoc quidem tempore? quid apertius? quid alsius? quid ab urbis contagione magis sejunctum? Spero igitur fore, ut nos ibi et libenter, et tuto esse possimus. Virgilii Georgica a Tornerio translata accepi, litterarumque et imaguncularum elegantiam, etsi non emendatissimis schematis, miratus sum. Librum quartum, qui reliquis tum apum descriptione, tum Orphei fabula praestare mihi semper est visus, matre audiente, confestim legi. Mirifice utrique placuit. Non enim, ut interpres quidam inepte fidus, sed ut poeta convertit; atque ita prorsus, ut ipsemet conscripsisse videatur. Quod quidem in illo metri genere plus etiam habet admirationis; quum praesertim ejus licentia non solum non immodica, sed etiam intra modum sit. Itaque ut Manutiorum olim ad illustrandum Ciceronem, ita nunc Torneriorum ad vertendum Virgilium natam merito familiam dixeris. Quum enim Arnaldus Aeneida, Laurentius Georgica interpretatus sit; superest, ut tertius aliquis ex iis Bucolica interpretetur: quod ipsum auguratur Arnaldus in prooemio. Utinam sic omnes converterent! auctores geminos haberemus. Ego autem Romanis irascor, qui quum in actis suis domestica quaedam haud magni momenti efferant, hujusmodi scripta silentio praetereunt. Sed hactenus. Salve a matre, et vale cum sorore et Laurentio. VI. Kal. Majas MDCCLXXXI.

82. FRANCISCO AVUNCULO S.

Georgica absolvi, non sine magna voluptate maximaque admiratione. Quae enim, *molle ac facetum epos*, ut ille ait:

Virgilio annuerunt gaudentes rure Camoenae;

eaedem Tornerio idem largitae esse videntur. Quare cum ipsi gratulor, tum tibi, qui me tali munere affeceris, iterum atque iterum gratias ago. Rezzonicus noster demonstravit hymnum illum ad Pudorem, quem ego et Diodorus eo nomine reprehenderamus, quod aliena quaedam a nostris moribus contineret, de industria ab se pro antiquo fictum esse, vel certe sic, ut ex antiquo aliquo epithalamio translatus videretur. Ambo igitur manus dedimus, atque hoc dumtaxat modo laude dignissimum judicavimus. Nam et poesis bella est, et τὸ πρέπον mirifice servat. Quid quaeris? absolutus est omnibus sententiis. At ego negotium rursus ei exhibui de doctrina poetarum; defendi enim, hanc in ipsis debere esse maximam, in poemate autem neque nimis exquisitam, neque crebram, quod furorem illum divinum facile obruat, ornamenta tollat, obscuritatem ac satietatem creet. Eam epistolam simul accepit, Parmam Diodorus misit, cui videor rem confecisse. Hic quaedam ad me de Metastasio, de quo jam jamque scripturus est in prooemio ad Tragoedias suas; sic autem existimat, ingenium quidem caeleste homini inesse, sed ejus stilum, quum in musicorum modos suavitate quadam mirifice cadat conveniatque, negligentius tamen, ac quodammodo solutius fluere, quam ut tragicum deceat. Haec ille, quae si, ut solet, copiose explicabit, quam vera sint, omnes intelligent. Ego ab Horatio ne latum quidem unguem. Vale. Prid. Kal. Majas MDCCLXXXI.

83. FRANCISCO PARISIO S.

Papium istum, qui in Germaniam contendens fasciculum tuum attulisse dicitur, non vidi; ersm enim in Iseriano. Quum autem ad d. XIV. Kal. Junii in Suburbanum venissem, accepi postridie cum humanissimis litteris tuis tres illos libros de scribae officio (1), quibus cave putes quidquam mihi gratius accidere potuisse. Nam cum omnia, quae abs te proficiscuntur, multis de caussis jucunda mihi esse debent, imprimisque propter eximium meum in te studium, tuamque parem in me voluntatem: tum vero ejusmodi opus, in quo abs te tot vigilias consumptas esse non ignorabam, ita jam exspectare incipiebam, ut te prope subaccusarem, quod tali ac tanto ante promisso munere me nondum beares. Mirifice etiam me incenderant Commentarii isti rei litterariae, in quibus scriba tuus summis laudibus efferebatur, quae mihi etsi minus necessariae, certe verissimae dulcissimaeque videbantur. Itaque libros, statim ut accepi, legere aggressus, quam avide singulis diebus sine intermissione percurrerim, necesse non habeo dicere. Tu vero, mi optime et doctissime Parisi, praeclare operam posuisti, quum et praeceptis prudentiae plenissimis, lectissimisque exemplis talem scribam informasti, qualem optimus quisque princeps sibi maxime optet; et ea thuscae orationis elegantia, quodque plus est, eo judicii acumine eaque eruditionis copia tuum opus contexuisti, illustrasti, exornasti, ut non iis modo, qui scriptum faciunt (qui si tibi obtemperare volent, nusquam

(1) *Istruzioni per la Gioventù impiegata nella Segreteria, di Francesco Parisi ec.* Vannettius loquitur de priore editione, nam iterum Romae prodierunt anno MDCCLXXXV.

profecto offendent, quin magnam gloriam in eo genere consequentur) sed litteratis etiam, atque historiae studiosis hominibus singulari esse possit et usui, et oblectamento. Nihil enim (ac non quia me semel, atque iterum honorificentissime appellasti, dico hoc, quasi gratiam referre cogitem, sed quia plane ita sentio) nihil, inquam, in illis voluminibus occurrit non ex optima philosophia depromptum, sed ex ea tamen, quae ad communem vitam transferri possit ; nihil non diutina virorum principum consuetudine, et longo rerum usu probatum; nihil non et distincte accurateque propositum, et utili quadam ex humaniorum litterarum fontibus petita jucunditate conditum; nihil denique, quod lectoris quamvis eruditi cupiditatem non vehementer alliciat. Quid multis opus est ? vicisti exspectationem meam. Etsi enim, quo ingenio es, omnia abs te eximia atque absoluta exspectabam ; tamen vix mihi persuadebam, id argumenti genus tantam vel doctrinae ubertatem, vel stili concinnitatem posse recipere. Nunc autem ita mehercule statuo, quod vir summus Quintilianus fecit, ut quaecumque oratoria facultate continerentur, undique omnia incredibili industria maximaque facundiae laude colligeret, idem te in scribendarum epistolarum arte cumulatissime praestitisse. Quod igitur pro amicitia nostra a me etiam atque etiam petis, ut siquid aut operi desit aut minus mihi placeat, id tibi quam apertissime ostendam ; vides jam, opinor, nullum mihi in eo dari tibi obsequendi locum. Attamen ne aut scripta tua negligentius evolvisse, aut certe blandius videar tecum agere, vel proposita mihi inepti hominis nota, pauca quaedam, quae legenti succurrerunt, tibi significabo. Simul illud consequar, ut quum ea partim levia, partim etiam supervacanea esse videas, re ipsa intelligas ; me in tuo opere calumniando laborem

fr ustra sumpsisse. Quo loco igitur de varia scribarum apud Graecos Romanosque dignitate verissime disseris, miror, te, quum Livii et Vopisci mentionem feceris, eximium illud Cornelii Nepotis testimonium non attulisse, quod est in Eumene, cap. 1. *Fulgebat jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque eum habuit* (Philippus rex) *scribae loco, quod multo apud Grajos honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribae existimantur : at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, ac fide et industria cognita : quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Porro rectissime addis, non esse dubium, quin, deleta per tyrannidem republica, scribae munus cum honestissimo, tum doctissimo cuique ab imperatoribus mandari soleret. Quam ergo vellem, humanissimum Octaviani Augusti ad Maecenatem scriptum, quo Horatio poetae epistolarum officium ultro obtulit, non praetermisisses! his praesertim temporibus, quae talium exemplorum incitamento maxime egere videntur. Haec autem Augusti verba sunt : *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum : nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adjuvabit.* Quod quum Horatius recusasset, non quin intelligeret, id sibi maximo honori fore, sed quod libere vivere, atque in agris suis esse vellet, ita coactoris filio totius orbis terrarum dominus scripsit : *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio quoque nostro audire ; nam incidit, ut coram illo fieret a me tui mentio. Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν.* Quid simile umquam post illa saecula? equidem haec osculari etiam soleo. Paullo inferius illud tu quidem mihi

videbaris velle defendere, non posse bonum scriptorem esse, nisi virum bonum; quod etsi stoicorum more, qui omnia ad vivum resecant, aliquo pacto fulciri possit, tamen quum ventum ad verum est, mirifice labat. Multos enim et factiosos et avaros et libidinum servos fuisse, denique omnibus vitiis inquinatam vitam duxisse scimus, qui non modo eleganter, verum etiam sapientissime scripserunt. Id (ne alios commemorem) in Sallustio et Seneca cerni potest, quorum alter turpi infamia flagravit, alter, ut Tiraboschius imprimis ostendit, divitiarum studio laboravit: ergo ea est utriusque oratio, ut nihil nec castius, nec prudentius, nec fortius, neque omnino severius fingi posse videatur. Haec a me pluribus dicerentur, nisi te, quod sentiebas, melius continuo explicasse animadverterem. Quamquam video, te quaedam consulto partim oblique, partim dubitanter significasse potius, quam explicasse; quale est illud de commissis, si aliter fieri nequeat, vel mendacio tegendis; in quo quidem ita demonstras, incidere saepe casus, quamobrem vir bonus honeste mentiatur, magni scilicet alicujus mali vitandi, non autem decipiendi, nocendive gratia; ut singulari quodam pudore nec iis, quos instituis, ansam des ad peccandum, et id tamen defendas, quod veterum recentiumque philosophorum nobilissimis quam rectissimum semper est visum. Inter veteres autem Quintilianus, vir summa integritate, quique non rhetoribus magis, quam philosophis annumerandus sit; haec habet c. I. l. XII., quae si quis improbare audeat, eum profecto vix hominem putem: *Ac primum concedant mihi omnes oportet, quod stoicorum quoque asperrimi confitentur; facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat, et quidem nonnumquam levioribus caussis: ut in pueris aegrotantibus, utilitatis eorum gratia multa*

fingimus, multa non facturi promittimus: nedum si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriae fallendus: ut hoc, quod alias in servis quoque reprehendendum est, sit alias in ipso sapiente laudandum. Quae quamvis (ut dixi) firmissima existimem, et, si recte atque ut par est accipiantur, a sanctissima Religione nostra minime aliena; idem tamen sentio, quod tu, adstringenda esse magis adolescentibus haec vincula, quam relaxanda. Deliciae quidem nostrae Horstius praeclarum omnibus, qui cum optimatibus vivunt, fidei ac taciturnitatis specimen praebet. Quum enim in eorum numero esset, quibus Maecenas familiariter utebatur, atque adeo prae ceteris ad intima quaeque admitteretur, numquam in eo se jactabat, neque arcanorum conscientiam praeferebat; sed ad hoc tantum se a Maecenate adhiberi ajebat, ut haberet, quem tolleret rheda iter faciens, et quicum meras nugas loqueretur. Quod ex pulcherrimo sermone illo intelligi licet, in quo facit percontantes ex se quosdam, numquid de Dacis audierit; in Sicilia ne, an in Italia sit Caesar militibus promissa daturus praedia; seque cum admiratione audientium nihil istorum scire jurantem. Sed mittamus haec. Ex iis, quae de lingua latina imprimis colenda scribis, facile conjicio, te, quum eam libri partem conficeres, Q. Moderati Censorini Hispani *Paradoxa* nondum vidisse, quae *de vita et morte latinae linguae* proximo hoc anno Ferrariae prodierunt. Neque enim si vidisses, temperare tibi potuisses, quominus ea leviter perstringeres. Est autem totum opus in quinque dialogos distributum, quos Hispani nonnulli exsules Ferrariae totidem diebus habuerint. Atque in primo quidem de novis latinis vocibus procudendis ita disserit Censorinus, ut infinitam quamdam ejus rei licentiam inducat, in qua ipsi veteres sane quam

cauti pareique fuerunt, ut nullum etiam ejusmodi verbum, nisi petita venia, proferre auderent. Quamquam id minime mirum videri debet, quum in altero dialogo illud Hispanus contendat, nihil quidquam detrimenti latinam linguam cepisse, quin nostris temporibus aeque plane florere, ac Ciceronis aevo, fortasse etiam magis. Id quo pacto, acutissime docet; nam tunc quoque (inquit) nemo, nisi qui litteris operam dedisset, bene latine scribebat, aut loquebatur, et corruptissimus erat vulgi sermo : itaque ea lingua nusquam, ne aureo quidem saeculo, praeterquam in doctorum oratione ac libris (sicut hodie) viguisse dicenda est: quasi non vulgus tametsi verba rusticius pronuntiaret, ac modis, generibus, casibus saepe offenderet; in eo tamen, quod ad indolem ac summam totius sermonis attinebat, cum doctissimis consentiret. Porro hodie nec vulgus latine scit, et ipsi litterati viri, si quando hac lingua utuntur, quam eleganter id faciant, quum in ea nati non sint, vehementer dubitant. Censorinus autem vult, latinitatem nunc cum maxime vivere in orationibus academicis, in Christianorum heroum laudationibus, in libris de rerum divinarum scientia, in epigrammatis marmori, aut aeri incisis. At quam vitam obsecro? tenuem scilicet quamdam, languoris et infirmitatis plenam, propterea quod pleraque ex his nihil fere veteris illius sermonis habent, praeter verba. Quid, quod addit, nihil esse caussae, quin, si recentes nonnulli pictores, aut architecti veterum in eo genere industriam aequasse existimantur, eadem esse possit in latinorum nitore aemulando recentium scriptorum gloria? Nimirum homo suavis non videt, quam valde haec sint inter se dissimilia: natura enim, ex qua pictores caeterique exempla sibi sumunt, eadem usque manet, atque omnibus omnium aetatum artificibus palam est proposita

ad imitandum; linguae vero, quae fere usurpari desita sit, quam nec oculis, nec manu metiri possumus, et cognitio perdifficilis, et incerta semper tractatio est. Nam caetera quidem, quae ille colligit pro latino sermone eo, qui nunc nobis est reliquus, e nostris ad Thomam Serranum atque ad Alexandrum Georgium epistolis haud obscure sumpta esse videntur; nisi quae nos verecunde ac dubitanter attulimus, iste sic amplificat atque auget, ut modum excedat. Qui quidem in tertio dialogo persuadere nobis conatur, divinorum librorum interpretes, eosque, qui rei Christianae Patres appellantur, tam idoneos latinitatis auctores habendos esse, quam sint veterum Romanorum elegantissimi. Nam quod nova novarum rerum vocabula finxerint, id ipsis nihilominus, ac veteribus licuisse. Esto: at ex his multa sunt aspera, quae recipi nullo modo debent. Et quidem (inquit) in Ennio, Naevio, Catone, Sisenna, Lucilio non minus aspera multa. Quasi vero non haec quoque reprehendamus, quae tamen, ut non satis politus etiam tum erat latinus sermo, multo sunt in illis tolerabiliora. Quid autem? an si Ennii rudis est latinitas, Pacuvii etiam horrida, idcirco Tertullianum aut Marcellinum bene scripsisse putabimus? Quis autem nunc Ennii aut Pacuvii similem se dici studeat? nisi forte ipse Censorinus, qui e disertissima vetustate obscuras, ac paene jam ridiculas voces revocat et inculcat. Verum enim hoc fixum ac certum manere debet, latinam orationem non tam novis, iisque durioribus verbis, quam perverso verborum ambitu ac peregrina quadam enuntiandarum rerum ratione, inflatoque et fucato scribendi genere contaminari. Quibus vitiis cum sacrorum interpretum, tum patrum scripta plena esse quis neget, qui modo aliquid in his rebus intelligat? Hieronymus Tullii discipulus, etsi eum saepe imitatur, at universe

nihil minus, quam tullianam dictionis sanitatem est assequutus. Melior Sulpicius et pressior, nec tamen totus. Candidissimus omnium Lactantius, et qui minimum ab antiqua integritate recedat. In reliquis nihil sinceri. At Censorinus caussam omnem ad Religionem traducit: inepte sane; nam quid momenti affert ad scriptorum elegantiam argumenti genus? an ideo eleganter scripsisse putandi sunt Patres, quia non de falsa ac nefaria superstitione, sed de vera Religione conscripserint? Illi vero sanctissimi fuerunt viri, caelestis doctrinae sapientissimi enarratores, egregii morum, vitaeque magistri; scriptores certe non boni. Quamquam illud urget Hispanus, Christianos auctores, praesertim qui proxima a Christo aetate vixerunt, latinam linguam vel a nutricibus didicisse, vel etiam divinitus, sicut reliquas, accepisse. Amabo te, Censorine, desine tandem nugari. Nam ut tibi concedam, eos omnes latinum sermonem cum lacte suxisse, quid inde magnopere colligas, non video, quum ea aetate (pace tua dixerim) ita jam immutatus esset latinus sermo, ut non multa retineret pristinae venustatis et quasi castitatis vestigia; nisi vero omnia, quaecumque, latina lingua non plane etiam exstincta, litteris mandata sunt, nullo discrimine pro incorruptis atque idoneis haberi debent. Quod si quis statuat, nosque in paganorum christianorumque scriptorum promiscuam imitationem compellat, absona quaedam et semibarbara latinitas exsistat; pura ac germana tollatur, necesse est. Nam quod ad illam divinitus inditam atque immissam linguarum scientiam attinet, ne eam quidem in eleganti sermone versatam esse existimare debemus. Docti sunt, inquam, Christi discipuli subito Dei afflatu omnes linguas; sed ad eum finem, ut caelestis doctrinae praeconium populis circumferentes, animi sensa dicendo explicare

possent: non etiam ut purae orationis laude praecellerent. Omnes igitur et a Christo missi praecones et interpretes, et patres quamcumque linguam ubique adhiberent, sive eam didicissent, sive divinitus accepissent, loquendi consuetudinem sequebantur eam, quae tum apud quamque gentem vigeret. Interpretes etiam, omni elegantia posthabita, id unum curarunt, ut in libris vertendis verbum prope pro verbo redderent; quo factum est, ut stili genus exprimerent simplex quidem illud et planum, sed graeco atque hebraico quasi colore oblitum, minimeque latinum. Quid Paullus, vir in dicendo acer et vehemens? nonne epistolas illas rerum altissimarum, et concitatae cujusdam ac rapacis eloquentiae plenas divino instinctu exaravit? Eumdem tamen eas graece non optime scripsisse scimus. Denique, ut ad latinitatem redeamus, conferantur, quaeso, sacrorum scriptorum optimi cum iis scriptoribus, qui a Plauti aetate usque ad Augusti obitum fuerunt, quo temporis spatio consensione omnium latinus sermo maxime floruit: una mehercule haec collatio, quantum inter eos intersit, apud aequum judicem declarabit. Quid tum, si Censorinus negat id se intelligere? Tanto hercle nequior! Porro ejusdem erat, qui romanorum auctorum principatum non agnosceret, Caroli Magni et Francisci Sancti Assisiatis in scribendo elegantiam admirari. Quod ille facit in quarto dialogo, ubi Georgium Valehium multis verbis exagitat, quod scholasticos, quos vocant, theologos inconditi ac barbari sermonis insimularit. In quo tamen suam ipse caussam mihi agere visus est, qui profecto ita latine scribat, ut alia omnia potius, quam ejus linguae florentem his temporibus statum, defendere debuisse videatur. Jam vero, dulcissime Parisi, ad tuum scribam revertor, unde me longius fortasse, quam par erat, Censorinus abduxit, cujus quintum,

eumdemque postremum dialogum, quo antiquos philosophos, Socratem imprimis et Epicurum, praeclaros atque optimos viros, praejudicatis opinionibus, insectatur, sic tamen, ut vera quaedam admisceat, non attingam. Sed pauca jam restant, de quibus loquar. Illud quidem praetermittere non possum, quin te admoneam. Deciperis enim communi errore, quum sermonem ad Dominicum Salvagninium contra Actorum Parisiensium scriptores, quodam loco Algarotti nomini addicis. Nam etsi in vulgus, nescio quo pacto, sub ejus titulo exierit, constat tamen, ab Josepho Januario Patavino, homine ingenio, doctrina et virtute ornatissimo, scriptum esse. Tu autem, quod scribam tuum inferius hortaris, ut Plinii Caecilii epistolas evolvat, sapienter facis; nam etsi a tulliana illa tum elegantia, tum gravitate quam longissime absunt, habent tamen et candorem quemdam amabilissimae indolis, et laeti acutique ingenii florem non poenitendum. Quo magis tibi, mi Parisi, succenseo, quod absurdum illud ex Nicolii moralibus libris judicium continuo subjeceris, quo tam humanus, tam liberalis, tam justus ac continens, tamque omnibus virtutibus praeditus vir, ut ineptus aliquis inanis gloriolae captator per summam injuriam vituperatur. At id fortasse non fecisses, si epistola quaedam mea ad Elisabetham Thurriam, quae octavo Vicetinorum Actorum volumini proximo anno inclusa est, in tuas manus venisset. Sic enim pertristis hujus patrui reprehensionem in ea convellere sum conatus, ita Caecilii animum, et in scribendis ad amicos epistolis consuetudinem demonstrare, ut confidere posse videar, te, si quando ea legeris, istam sententiam omnino repudiaturum. Interea nonnihil mirari me fateor, quod non recentium potius quorumdam scriptorum, qui cum patrii sermonis integritate doctrinae copiam conjunxerint, velut Redii,

Magalotti, Algarottique, et Bononiensium complurium, quam nescio quorum xv. saeculi hominum, qui squalore adhuc orationis quodam et rerum inanitate laborant, epistolas adolescentibus proposueris. Nam quod ad eas attinet, quae a superioris aetatis clarissimis viris conscriptae feruntur, ne harum quidem tota volumina necesse arbitror a tironibus pervolutari, quos libenter equidem, et majore, ut censeo, cum fructu ad paucas illas remiserim quam Hieronymus Taleazucchius ex probatissimo quoque in omni genere elegit. Quod si eis plura in manus dare esset animus, adderem sane nostrarum gallicarumque mulierum epistolas nonnullas, Gambarae utique, et Saevineae, ex quibus, quoad viris liceret et opus esset, nativam illam, quae dulcissime in animos influit, puram splendentis orationis addiscerent lenitatem. Verum haec genera epistolarum minus fortasse apta tibi sunt visa ad id, quod tuae institutioni propositum erat. Ego autem loquor ut existimo, vel potius scribo quod in solum, ut dicitur; itaque dum tibi morem gerere cupio, contra praeceptum tuum factus sum impudens et molestus. Et tamen antequam finem garriendi facio, unum etiam illud adjungam: quae scribis de tractandis virorum principum per litteras animis, siquid ejusmodi accidat, ut inferior aliquis amicum apud eos in gratia ponere debeat, me vehementer probare, sed nolle Horatii epistolam ad Claudinm Neronem, qua ei Septimium commendat, quamvis ligata sit metri legibus oratione, abs te silentio praeteritam esse. Ita enim apte in ea poeta exorditur, tam vafre quid apud principem possit, nescire se simulat, ita audaciae suae culpam in amicum, qui se prece coegerit, blande confert, ac majoris etiam culpae metum, si huic pertinacius negasset, prae se fert; adeo denique dissimulanter rem conficit, ut jamdudum statuerim, nihil

ea commendatione excogitari posse vel modestius, vel callidius, vel efficacius. Accedit eo, ut tot pulcherrimas sententias tredecim modo versiculis sine ulla obscuritate circumscripserit. Quam autem nihil sit brevitate melius, tu senties, quum has litteras legeris, ex quibus intelliges, me numquam, ne si velim quidem, bonum scribam futurum. Quod reliquum est, alterum libri tui exemplum Josepho Baronio suavissimo adolescenti tuis verbis confestim misi, qui maximas tibi apud me gratias agit. Macrinum nostrum, a quo nihil jamdiu acceperam litterarum, ab Apolline ad Hymenaeum subito descivisse audivi; itaque nec hominem interpello jam, nec silentium miror. Utinam modo, quando ipse versus facere destitit, eximium aliquem nobis poetam procreet, qui afflictae atque inclinatae huic arti aliquando praesidium ferat. Da operam diligenter, ut valeas. Pridie Kal. Junias MDCCLXXXI. Ex Suburbano.

84. LAURENTIO TIRONI SUO S.

Quietem et secessum tuum tibi gratulor, mi Tiro, mihique opto. Quod ad te praeter exspectationem tuam prior ipse scribo, cernis amorem meum. An ego tonsori istuc proficiscenti nihil darem? quem ego sane admonui, ne barbam tibi plane abradat, quo philosophus etiam aliqua ex parte videri possis. Mittamus nugas; quamquam haec eo injeci, ut intelligas, me bonum jam animum habere. Paullo postquam tu a me discessisti, multas epistolas accepi. Quid quaeris? praeclara a Diodoro, et praesertim de Voltaerio. Tanti fuit unum diem hic manere, ut coram audires. Cognosces tamen per litteras, tum scilicet, quum accepero tuas. Nunc interea te maceres licet, ut Phaedria ille apud Terentium. Heri avunculus lauto imprimis

convivio nos hic excepit; itaque domi nostrae non domini, sed hospites fuimus. Interfuit etiam Graserius, cui Bioneum illud nescio quid, quod nuper lusaram, incredibiliter placuit. Nam allatis secundis mensis invitatus sum, ut legerem. Quod quam invitus faciam, tu optime nosti. Vale, mi Tiro, et me tibi ante oculos quam saepissime statue. Ex Suburbano. IV. Kal. Sept. MDCCLXXXI.

85. TIRONI SUO S.

En umquam futurum, ut beatum illud rus videam? quum enim ex uno scopulo jam enavigassem, incidi in alium, nam matris meae ornatrix decubuit. Morbus tamen et levis est, nec futurus videtur diutinus. Sed ego desiderio tabesco. O te felicem, qui habes quod cupis, et cui in alto isto otio vivendi copia est! Nam quid ego aliud mihi opto, nisi ut viridibus illis pratulis collibusque ac nitido illo Iseriano sole frui possim? Eum diem dum sollicite exspecto, unum habeo solatium litterarum tuarum, quibus, etsi alioqui a scribendo abhorreat animus, et statim tamen et libenter rescribo. Ac proximis quidem eo libentius, quo elegantiores sunt. At in eo falleris, mi Tiro, quod Diodorum paucis mendis irasci putas: ille vero humanae naturae veniam dat, non dat negligentiae. Porro sic statuit, in illis poetis plura esse mala, quam bona, idque ita confirmat, persequens singula, ut ipsi assentiri vel invitus cogar. Quamquam non invitus, qui pristinum judicium meum revocare praeoccupaverim, ad eumque prior scripserim, me, quae paullo ante non improbassem, jam iterum legere non posse. Nunc quod dicis, me novi aliquid certe habere, divinus profecto es. Accepi videlicet a Marco librum alterum, quem de constituenda libere sentientium

philosophorum republica ironice nuper composuit, neque adhuc exire passus est. Scripsit autem ad me humanissimas litteras: plures doctos viros id opus ἀνέκδοτον considerasse; alios vocabula modo quaedam reprehendisse, alios seriem ipsam atque ordinem rerum, sibique auctores fuisse, ut retexeret: proinde se mihi rem omnem permittere: legam, conferamque cum priore libro diligenter, quidque emendandum, addendum, detrahendum censeam, perscribam, immo vero emendem, addam, detraham meo arbitratu; se, quae fecero, jam nunc omnia probare. Quid pote prolixius? itaque Iseriam tota cogitatione feror, ut tranquillo atque otioso animo tam gravi tamque benevolo nobis viro studium operamque meam, ut debeo, navare possim. Salve a familiaribus, et vale. III. Non. Septemb. MDCCLXXXI.

86. TIRONI SUO S.

Tu vero et bene latine, et thusce etiam melius; sed noli laborem defugere. Ceterum tuo arbitratu. Ornatrix sine febri jam est, quum heri exspectaret. Medicus (quippe tertianam timebat) non rediit. Quod si ne hodie quidem (nonnulla enim suspicio erat, in quartanam vim morbi conversum iri) salvi sumus. Et tamen id esse vides morbi genus, quod festinationi meae minime officiat. Itaque respiro. De Marci libro quid sentiam, non ante scribam, quam totum etiam atque etiam evolvero; quod jam tamen institui. Marco pollicitus sum, me ad eum de omnibus rebus accuratissimas schedulas confecturum, sed ita, si emendandi laborem ipse suscipiat; nolle enim me alienum opus interpolare, quum praesertim difficillima sit ejusdem stili imitatio. Pindemontium, qui de Torellii morte ad me

scripserat, vehementer hortatus sum, ut ejus vitam conscribat: id longe maximum esse doloris remedium; sic docti amici virtus, studia, honores cogitatione percurri, amoris ac desiderii impetum effundi, et in propaganda ejus memoria suavissima quadam pectus voluptate compleri. Praeterea gratum omnibus factnrum, si quae Torellius perfecta reliquit, ea ne diutius in scriniis lateant, curarit. Deberi hoc patriae, deberi etiam Italiae: quae quidem jamdiu queratur, multos praeclare de se meritos viros justae landationis honore adhuc carere. Quis enim Maffei, quis Manfredii, quis Morgagnii aut Lazzarinii res gestas scriptasve illnstravit? Haec fere ad illum, qui etiam mirificas mihi egit gratias, quod Cervinum sibi potissimum inscripserim (1). *Centum* (inquit) *potiore signis munere donas.* Ego Tiraboschianorum ad historiam additamentorum volumen carptim lectitabam: eruditio mira, et abunde salis in Lampillam. Accepi ab Laelia cum Ephemeridis Gesnerium dimidiatum (2), quem simul in manus sumpsi, deponere sum coactus, ne vomerem; adeo fracta omnia, inculta, laxa, mollia, corrupta. Haeccine amari? Haeccine in sinu, atque in caelum ferri? Utinam aliquando resipiscamus. Nam quomodo nunc est, frustra ego Germaniam in me concitavi, ut Italiae consulerem. Scias enim, nostros illos versiculos incredibiles turbas excitasse (3). Ecce autem poematia ab Tillio non injucunda, praesertim de Faba arabica. Habebimus igitur qua ruri sub antiqua ilice sic temere strati legamus. Areostum Tillius imitatur, ut ego quidem existimo, verbis et numeris: non etiam copia et

(1) Sermonem quem reperies in Vol. VI. pag. 235.

(2) Scilicet quaedam Gesnerii carmina in italicum sermonem ab ipsa Laelia conversa.

(3) Epistolam dicit ad Montium, de qua alibi facta est mentio.

volubilitate illa rerum sententiarumque mirifica. Quod enim natura negavit, id arte rependi non potest. Ringor quum cogito; sed comprimenda est φυλαυτία, et quod a communi omnium parente accepimus, utendum eo sine querela. Denique alii aliis rebus valent. Malfattus sobrinus opusculum ad me misit ex officina illa Euclidea, unde me, vix dum limen attigeram, scis esse revocatum. In eodem fasciculo erat oratio Bartholomaei, de vitiis publicae educationis latine scripta; quae mihi tum rebus, tum verbis est vehementer probata. Multa proponit sane utilia, et quae viros ac mulieres, Atheniensium et Lacedaemoniorum exemplo, ad robur et animi et corporis rite informare possint. Tamen haec omnia fusius ab eo separata institutione explicari velim; nae ille egregiam operam reipublicae navaret. Hodie Mantua fulminum aliquid concrepàbit, quod usque istinc exaudias. Benigne de Albino, cui tu quadram tuam concessisti; belle de Ulysse. Quos tu jussisti, ii vicissim te jubent. Cura ut valeas. VII. Id. Sept. MDCCLXXXI. Ex Suburbano.

87. TIRONI SUO S.

Ita ut dicis, expectatione tuarum litterarum ad te scribere intermisi; quas quum diutius differres, suspicatus sum, te cenetensem conditionem non aspernari (1), et versiculorum aliquid concinnare, quo exstaret specimen studii et solertiae tuae. Nunc autem quam longe a vero abierim, epistola tua docuit, quam sum miratus tam seram tam inanem venisse. Quod tamen rem illam totam abjeceris, non

(1) Pontifex Cenetensium obtulerat Laurentio munus profitendae apud se eloquentiae.

reprehendo, immo vero laudo, qui intelligam, quanto ingenio suo diffidere satius sit, quam nimium confidere. Porro abs te quum discessi, video hic neminem, quem (siquidem Zagurium amem) ad id munus invitem. Itaque quod ad nos attinet, plane praecidam. Ego, mi Tiro, ut haec loca attigi, statim melius valere coepi, et multo esse hilarior. Nondum tamen per imbres obire agros licuit, *et amoena vireta*
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.

Quamquam haec quum scriberem, melior videbatur sequutura esse tempestas. Commentariolum Terentianum, quod satis emendatum putabam, describens interpolavi totum. Item epistolam de Virgilii loco, quem nosti. Quae quum ego novem post annis in vulgus exire patiar (1), non vereor profecto, ne quis me accuset lege horatia. Hesternae Diodori litterae ejusmodi sunt, ut nisi legentem delectare non possint. Sunt enim variae et philosophicae, praesertim de eligendo aptissimo naturae nostrae scriptionis genere; ceterum novi habent nihil. Gregorius Fontana me hortatur, ut Taciti Agricolam in nostrum sermonem convertam, et commentariis illustrem, tum eruditis, tum civilibus: magnum, gratissimum omnibus opus fore, meque praeclarissime positurum. Respondi Caesarotto aliquo opus esse, qui vertat, Beccaria, qui illustret, aut Fontana, qui utrumque faciat. Albinum, si jam tecum est, bene pasce et saluta; nam occupatione impedior, quominus plura scribam. Valetudinem tuam cura diligenter. De Iseriano. XII. Kal. Octobris MDCCLXXXI.

(1) Commentariolum vide in Vol. VII. pag. 213. Epistola, qua Virgilianus versiculus expenditur e nona eglogarum, prodiit Venetiis in tom. X. Opusculorum quae colligebat Melonius.

88. FRANCISCO SAIBANTIO AVUNCULO S.

Cervini (1) tria exempla a librario accepisse te puto. Eum quod ad Pindemontium transtuli, Graserio me, ut spero, facile purgabo, praesertim quum id sim sequutus, ut ne cui suboleret, in quem ficto nomine incurreremus. At huic vicissim Terentiana mittemus, quae jam absolvimus. Pindemontium hortatus sum, ut aliquid edolet de Torellii sui laudibus; idque ille facturum proximis litteris pollicetur, statim ac libellum, quem de Spolverinio conscribit, emiserit. Hujus poema de cultura Oryzae inter praeclarissima nostrae aetatis opera recenset. Atque ut par nobile efficiat, Meropen addit. His totam (inquit) Italiam provocamus. Patavinos quosdam poetas ita vexat, ut ridere potius, quam indignari videatur. Se quidem in hac transalpinarum rerum insania eumdem habere animum affirmat, quem Titus Pomponius in maximis reipublicae fluctibus habuisset; illum enim Athenas secessisse; se item cum Graecis quotidie versari; caetera Italiae fato permittere. Quid quaeris? nihil potuit festivius. Sed puer festinabat. Valebis igitur, et salvebis a matre. x. Kal. Octobris MDCCLXXXI.

89. FRANCISCO AVUNCULO S.

Misi ad te fasciculum epistolarum, quas una cum libellis, ut cuique inscriptae sunt, cures velim, praeterquam in quibus Laurentii nomen est: nam eas Cubio recte trades. Dedi etiam ad Graserium pluribus verbis: quas ideo non obsignavi, ut, si liberet, legere posses; nam spero me

(1) Sermonis quem reperies in Vol. VI. pag. 235.

scripsisse quemadmodum maxime velis. De emendanda Tartarotti vita videlicet; caetera enim nugae (1). Laudo hominem ut dignus est: me a fide et officio non discessurum polliceor; sed ita, si ex aequo et bono mecum agat, nec nimia festinatione me, tamquam malum aliquod nomen, in angustias compellat. Mater te et sorores jubet. Da operam, ut valeas. v. Kal. Oct. noctu. MDCCLXXXI. De Julio, cum Clemente Baronio semel tantum loquutus sum, idque quum adhuc essem in Suburbano; qui mihi ita tum respondit, ut qui valde dubitaret, utrum susciperet adolescentem, necne. Suasi, impuli, obsecravi. Denique in haec discessit, scripturum se ad me quidquid decrevisset. Pompejus de Cervino ad nos scripsit quae maxime volebamus; Pindemontius vero haud indignatur in suo nomine exisse.

90. LAURENTIO TIRONI SUO S.

Quum has bene mane ad te exararem, certum non habebam, utrum ruri, an in urbe esses; valeres, an aegrotares; varia enim audieram. Et Flavii epistola sane bella jam erat nimis vetus. Itaque recens aliquid a te ipso, si fieri posset, exspectabam. Tuis responderam, easque litteras ad te statim perlatas esse arbitrabar. Ego, nisi gravedine laborassem, quam quidem turdis et isiciis fregi, quo die Sardorum regis filia venit, istuc excurrissem, etiam mehercule ut Ignatium Somium regium medicum convenirem, qui videre ajebat me cupere, ad meque postridie mane

(1) Graserius immanem quamdam de Hieronymi Tartarotti vita quasi silvam confecerat, eamque ut una secum excuteret et ad justum commentarium redigeret, Vannettium urgebat.

servum cum litteris miserat, quibus ostenderet, se amicitiam meam velle. At ego valetudinis excusatione usus, libellos quosdam misi velut testes mutuae voluntatis. Respondit ille humanissime, meque remuneratus est, etsi non simillimo, at grato tamen et luculento munere. Imprimis vero a me petiit, ne ipsum, in reditu, conspectu meo colloquioque fraudarem. Nostrorum quoquo scriptorum συναγωγὴν spectat; quod non obscure significavit. Insaniam nostram rideas licet. Sermonem his diebus scripsi iratior, in quo Crispinum rusticam hanc, quam sequor, et quietam vitam litterisque deditam urbanorum more accusantem, meque pro me ipso loquentem facio (1). Horatianos dialogos effingere conati sumus, omniaque colligere, quae philosophi de eligendo aptissimo vitae genere, de vacatione munerum publicorum et de litterarum tum delectatione, tum fructu disputare solent. Tu igitur eos versiculos petes ab avunculo (misi enim), diligenterque cum Flavio leges; nam aveo scire, ecquid vobis videar rem confecisse. Jam illud imprimis advertes, quo pacto me interpellet Crispinus, quam audacter; idemque meis argumentis constrictus, quum quo se vertat non habeat, ad convicia demum confugiat. Id enim nostrae caussae bonitatem maxime ostendit. Salutem dic Flavio, cui scribam propediem. Cura ut valeas. VII. Id. Oct. MDCCLXXXI.

91. LAURENTIO TIRONI ET FLAVIO ALBINO SUIS S.

Accusat me Diodorus, quod Paullum Manutium quodam loco venetum fecerim, qui sit romanus. Id in Scholiis ad Cervinum reperietis (2) et inducetis, relicto tantum

(1) Invenies in Vol. VI. pag. 251.
(2) Vide Vol. VI. pag. 248 et 249.

Bembi et Naugerii duumviratu. Nam quod Manutium Venetiis aetatem egisse dixeram, id nihil esse respondit. At ego imprudens Georgii exemplo deceptus sum: adeo numquam satis cauti sumus, in historia praesertim. Ut fidem meam liberem, postremum sermonem ad vos mitto, de quo Diodori et Baronii judicium non ante perscribam, quam vestrum ipsorum per litteras cognovero. Nolo enim praejudicata opinione in alterutram partem vos labi. Etiam illud acumen vestrum volo experiri, quum praesertim jam diu Horatium evolvatis. Torellius, qui nuper obiit, Catulli poematia vertit eadem illa, quae a Pindemontio expressa legimus. Ea modo ab ipso Pindemontio accepi; et satis mihi quidem polita, vel etiam plus satis, videbantur, ut erat homo in versu faciendo morosior et nusquam non geometres. Nondum tamen (quod per otium cogito) contuleram. Transtulit etiam epistolam illam Vulpii ad poetam suum, id est, Propertium, in qua apparet aliqua significatio lucilianae acerbitatis, quae vereor, ne in Torellio evanescat. Carmen quoque accepi, quod de Veronensium ludis scripsit Sophronius: studium summum, natura mediocris. Dicam apertius, et poetarum more: Pindarum aemulari studuit icariis pennis. Ecce autem et a Diodoro versiculos, quos vobis adjunxi. Nos in urbem a. d. XIII. Kal. Nov., ibique biduum manebimus, ut Somium videamus. Vos quid ageretis, nesciebam; sed ruri putabam abditos in libris esse totos. Bene vivite et valete. XVI. Kal. Nov. MDCCLXXXI. Hactenus scripseram, quum in mentem venit in Ladvocatio quaerere, unde domo Paullus Manutius fuerit; at ille non alibi, quam Venetiis natum affirmat. Quod si est, non ego, verum Diodorus errat, aut certe ad Paullum transfert quod Aldorum alterutri fortasse contigit. Et tamen quoniam hominis Galli de rebus nostris

scribentis testimonio non satis fido, negotium dedi avunculo, ut id ipsum in Tiraboschio exquirat diligentius. Quod igitur mandaram, ut Manutii nomen tolleretis, id jam veto, dum certum sciam.

92. TIRONI ET ALBINO SUIS S.

Quam vellem interfuissetis ei sermoni, quem mecum habuit Ignatius Somius de nostrarum litterarum statu deque recentioribus poetis! Profecto enim intellexissetis et qualis quantusque vir ille sit, non dico in medicina, de qua nihil attinet loqui, quum ex ipso munere, quo apud regem Sardorum fungitur, id intelligi liceat; verum in hoc genere humanioris doctrinae, quo nos delectamur; et quam pulchre in omni judicio ejus sensus cum meo sensu congrueret. Ex quo quidem magnam cepi animo voluptatem, quum Taleazucchii discipulum, Manfrediorum Zanottorumque amicum, senem denique litteratissimum, eumdemque mira gravitate, nec minori comitate praeditum, felicia juventutis suae tempora suavissime commemorantem, deque tota ejus eloquentiae ac poesis, quae nunc dominatur, ratione ita disserentem audirem, ut ego semper existimavi. Quae, dii boni, de magistro suo praedicavit! quae de Frugonio, quicum Parmae multos dies fuit! quam multa in germanicos poetas eorumque fautores dixit! quantis extulit Bettinellium! quem quidem in praesentia sanae et rectae voluntatis vindicem, transalpinae tyrannidis liberatorem, studiorum columen appellavit. Me vero quam blande excepit! quam vehementer, ut quod iter ad laudem ingressus essem, porro persequerer, hortatus est! quam amanter ex suo complexu dimisit! Narro vobis, optimi adolescentes: nihil mihi illa nocte candidius, nihil ea congressione

nec utilius, nec jucundius accidere potuit. Adfuit autem et Fontana medicus, a quo ad illum humanissime ductus sum. Tuarum litterarum exemplum, mi Tiro, quamprimum mihi describas velim. Ac vel hodie, si habuissem, ad Bettinellium misissem, a quo munusculum accepi, Horatii carmen ad Septimium a Caeretto dulcissime conversum. Valete et salutem dicite avunculo. IX. Kal. Novembris MDCCLXXXI.

93. TIRONI SUO S. P.

Te, quod ad ludum litterarium attinet, duobus illis adolescentulis operam tuam polliceri mihi est gratissimum. Caetera ut postulas (aequum autem postulas), ita fiant. De studiorum oblectatione, his praesertim imbribus, et recte et suavissime scripsisti, ut eam particulam legens una tecum esse et garrire viderer. Sane ego nec transversum unguem a calamo et libris; atque adeo retuli me jam ad haec horatiana Diodori jurgio commotus; quae utinam e manibus non ante deponam, quam perfecero! Sed nosti quam sim desultor, ut ille amoris, sic ego litterarum. Varietatis enim studio nescio quo facile ad alia subinde abducor, vel dicam, imprudens labor. Sic autem universe existimo, subitas animi impulsiones esse scriptoribus sine dubitatione sequendas, in eoque demum non tam alieno, quam suo judicio standum. Caussam meam me pulchre agere dices, mi Tiro, quum scies, me octo dies ipsos in perpoliendo augendoque sermone illo meo proxime consumpsisse. Nam id quoque poeticae quasi libidinis fuit. Sed dum paucula quaedam addo, alia atque alia occurrerunt, quae aspernari nefas haberem. Itaque arripui, et congessi oppido omnia. Tu eos versiculos petes ab avunculo, et

quoniam de universo poematio (si poematium appellandum est quod numeris tantum a prosa oratione differat) judicium tuum disertissime atque acutissime perscripsisti, scribe quoque de his, quae mutavi quaeque interserui, quid sentias. Martinius Zanotti sermones ad me misit: nesciebam enim, illum hoc etiam genere delectatum. Quid multa? voravi, sed longe alios offendi, ac speraram. Nonnulla quidem φιλοσοφικά, et ex iis locis, qui de moribus sunt; quaedam etiam quotidiano sermoni propiora. Verum pleraque omnia exquisitius e fabulis petita, atque illustrioribus, quam huic scriptioni conveniant, coloribus picta: nihil ridiculum, nihil vehemens, acidum nihil. Frugonii Lyricorum quintum volumen Ala accepi, quod ego perlegens ita animo afficior, ut herboso in litore ad lenem aquarum sonum, mulcentibus circum auris orientem auroram spectare, ac novo quasi spiritu refici et crescere mihi videar. O beatissimam imaginum copiam! O eloquentiae florem splendoremque incredibilem! illacrymor ego, mi Tiro, librum quum pono, prae invidia; et quis non sibi ipse irascatur, in quo modo sit aliqua indoles? nostra enim si conferamus, ita evanescunt, ut ne appareant quidem. Adeo in natura sunt omnia, quae in quo est, is non magno studio maxima efficiet; cui deest, ei vel maximum studium vix mediocriter proderit. Teneamus igitur nos intra satirae fines; nec tenues quum simus, conemur grandia, ne et hanc frustra tentemus, et illam, quam assequi fortasse possumus, misere laudem amittamus. A Diodoro (credo, propter assiduos imbres) nullae adhuc allatae erant litterae. Atqui exspectabam quidem. Aliud quid? nihil hercle, nisi me hanc epistolam Flavio tecum velle esse communem. Ego me turdis et ficedulis curo; te item hortor: quamquam memini bene quid respondeat Grumio Tranioni in Mostellaria:

Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Sicut tu oles: me sine alliato fungi fortunàs meas.

Haec autem ne me usque lacrymari putes; etsi enim Frugonio invideo, tamen et rideo saepe, et irrideo etiam libenter. Vale, immo valete, meae carissimae animae. Prid. Kal. Nov.

94. TIRONI ET ALBINO SUIS S. P.

Morbo ipso, quo sane feliciter defunctus sum (1), multo sunt molestiores morbi reliquiae; nam quum pustulae nonnullae in dextro crure sanie adhuc scateant, aut sedendum est totos dies, aut etiam jacendum: pauca autem lego, aut epistolas scriptito; nam omnino litteris uti haud licet. Munera quidem ab utroque avunculo accepi, quibus et mentem et oculos suavissime oblectarem ac pascerem. Sed Tiraboschius quoque, qui mihi per litteras est gratulatus, ἀπολογητικὰς illas misit epistolas librario opere descriptas (2). Porro Clemens Baronius Actorum Romanorum caput (3) mihi ostendit, quo capite quae nos de Baronio pictore litteris mandavimus, ita accurate dilucideque exponuutur, nihil ut fieri possit supra. Auctor quis sit, ignoro; sed quisquis est, certe et librum diligentissime legit, et rem, qua de agitur, pulchre tenet. Montius, qui ad diu intermissam litterarum consuetudinem ultro redierat, atque egregium carmen de Pulchritudine adjecerat, responso meo nondum respondit. Novi praeterea quod scriberem, non habebam, et eram mehercule tum valetudine infirmior, tum etiam matris commotiunculis conturbatior; quae

(1) Id erat morbi genus, quod vulgo *variolas* appellant.

(2) De Germanorum poesi.

(3) Id est XLV. earum Ephemeridum; quae prodierunt anno MDCCLXXXI.

tamen jam meliuscula esse videbatur. Nos in urbem circiter Kal. Decembris cogitabamus, si tempestas bona esset. Ego interea Juvenalem in manibus habeo, Horatio acriorem, et non tam re, quam specie ingeniosiorem; sed qui ab ejus urbanitate verissimisque salibus longe absit, tumore et obscuritate laboret. Multa in eo tamen invenias, quae iterum ac saepius cum admiratione legas, ac memoriae mandasse velis. Valete. IV. Kal. Dec. MDCCLXXXI.

95. PETRO POLLIO S.

Quod tibi est in animo consilium meum sequi, ut nobilibus pueris in disciplinam tuam traditis nonnullos e pulcherrimis Terentii locis identidem praelegas, et quae in eis notatione maxime sint digna, diligenter explices et inculces; agnosco, te caeterorum doctorum virorum esse similem, qui etiam minorum consilia, modo profutura esse videant, boni consulunt, iisque recte monstrantibus turpe parere non putant. Quod autem id mihi negotii dedisti, ut quae in illo auctore ad hanc rem maxime opportuna judicavero, seligam, et prooemio aliquo illustrata ad te mittam; vide, ne te ipsum potius hoc facere oporteat, qui discipulorum tuorum ingenium ac sensum penitus cognitum habes, et idcirco omnium optime judicium facere potes, quid ipsorum vel solertiae, vel voluntati sit accommodatum, quid minus. Attamen, ne videar tibi per hanc caussam laborem defugere, et quum verbis tua studia incitaverim, opera Marco Lepido illi esse similis, qui, caeteris in campo exercentibus, in herba ipse molliter recubans, *vellem* (ajebat) *hoc esset laborasse*: animum induxi, duas scenas e Terentii Eunucho interea ad te mittere, addita in utramque brevi et illaborata praefatiuncula. Est autem

Eunuchus Comoedia magna ex parte e Menandri Colace a Terentio desumpta. In hac multarum personarum mores adeo graphice exprimuntur, ut nihil supra. Eminent tamen personae Militis et Parasiti, quorum in altero levitas et jactantia, in altero calliditas, et summa assentandi comparet scientia. Atque ut Militem in praesentia omittamus, nihil lepidius, nihil verisimilius, nihil expressius fingi potest oratione ea, quam secum habet Parasitus in Scena II. Actus II., ubi narrat de populari quodam suo, quem fame pereuntem viderat, ad eumdem quaestum a se traducto; simulque exponit ejusmodi quaestus rationem et novum, quod ipse invenerat, comparandi victus artificium, per dolos scilicet parasiticos, obsequendo divitioribus iisque inserviendo et per omnia assentando. Meminit autem hujus Parasiti nomine Gnathonis et Cicero ille, qui philosophiae studium ad emendandos hominum mores potissimum contulit, in capite XXV. ejus libri, quem *de Amicitia* confecit, ubi affirmat, *nullam in amicitiis pestem esse majorem, quam adulationem, blanditiam, assentationem. Quamvis enim*, inquit, *multis hominibus est hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiae repugnat maxime. Nam quum amicitiae vis sit in eo, ut unus quasi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, si ne in uno quidem unus animus erit, idemque semper; sed varius, commutabilis, multiplex? quid enim potest esse tam devius, quam animus ejus, qui ad alterius non modum sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atque nutum convertitur?*

Negat quis? nego: ait? ajo. Postremo imperavi egomet mihi
Omnia assentari.

ut ait idem Terentius: *sed ille sub Gnatonis persona*: *quod amici genus adhibere*, *omnino levitatis est.* Hoc autem vel maxime ridiculi habet Gnathonis istius oratio, quod, sicut philosophorum disciplinae ex ipsis vocabula obtinent, ut puta a Socrate socratici ejus sectatores vocantur; ita eos, qui ad ipsius artem se conferant, vult gnathonicus appellari. Sed nemo probus hoc nomen sibi optabit, aut quaeret. Nos vero sermonem istum ex animo legere debemus, non modo ut ipsi caveamus, ne quid Gnathonicorum disciplinae conveniens admittamus, sed etiam, si quos Gnathonicos cognoscamus, (cui rei non exiguum haec oratio lumen afferet) ut eorum insidiosam societatem sceleratamque amicitiam, vel potius amicitiae simulationem diligenter vitemus. Verba autem Parasiti sunt haec non magis elegantiae plena, quam perfidiae.

Dii immortales, *homini homo quid praestat*! *stulto intelligens*
Quid interest! *hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.*

Miro artificio Terentius Gnathonem ita incipientem induxit, ut ex ipso orationis exordio, parasitum loqui, omnes intelligerent. Etenim qui id semper agit, ut aliorum dicta factaque laudibus extollat, et ad eam rem magnificos loquendi modos reperiat, cedente in naturam consuetudine, etiam quum res suas commemorat, omnia illustribus verbis exornet, necesse est. Ceterum, pulcherrima sententia primo statim versiculo prolata, acumen quoque hominis et sapientiam ostendit:

Conveni hodie adveniens quemdam mei loci hinc, *atque ordinis*,
Hominem haud impurum, *itidem patria qui abligurierat bona.*

Cicero dicere solebat, et jam in proverbium abiit, eum, qui repente dives factus sit, malum hominem esse oportere. Tale nomen non fere cadit in eum, qui bona absumpserit, cui fortunam et comitatem ipsam obfuisse arbitramur. Etiamsi porro obfuerit luxuria, non aeque tamen vituperamus, quum civili societati haud magna fere damna per alienam luxuriam inferantur, per avaritiam gravissima. Tum autem sic loqui oportebat hic parasitum, ne, si eum, qui patria comedisset bona, impurum appellasset, se quoque ipsum, qui idem fecerat, eo nomine dignum fateretur.

Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum.

Annis obsitum hic arbitror positum esse ad melius describendum hominis habitum, qui enim valde extenuati et paedidi sunt, grandiores natu, quam sunt, videntur: alioquin hunc Gnatho idoneum non duxisset ad parasiticam artem exacta aetate persequendam.

Quid istuc (inquam) ornati est? quoniam miser, quod habui, perdidi,

Hem quo redactus sum: omnes noti me atque amici deserunt.

Eodem semper homines ingenio fuerunt, ut divitias sectarentur, paupertatem contemnerent; nec est, cur quisquam queratur, mores, senescente mundo, labi in deterius.

Hic ego illum contempsi prae me: quid homo (inquam) ignavissime:

Itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te siet tibi?

Simul consilium cum re amisti?

Non tam hominis squalore motus est Gnatho, quam ignavia et inertia offensus. Sicut enim militi et in pace ad futuros hostis conatus repellendos opportuna arma ac

praesidia expedienda sunt, neque in bello si quando inclinatam aciem viderit, continuo ad deditionem est descendendum; ita vir sapiens eam sibi, secunda fortuna, consiliorum copiam parare in animo debet, ut adversa quum venerit, nulla quamvis atroci re exanimatus, ac velut depositus jaceat, sed in quascumque calamitates inciderit, habeat quo, tamquam ad anchoram, confugiat, et unde, praesentia aequo animo ferens, tentet nihilo secius meliora. Et haec quidem recte; sed quod datur a Gnathone consilium, rectum non est.

.... Viden' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nil quum est, nil defit tamen;
At ego infelix neque ridiculus esse, neque plagas pati
Possum. Quid tu his rebus credis fieri? tota erras via,
Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius.

Et revera Ergasilus Parasitus apud Plautum ita loquitur Captiv. Act. 1. Sc. 1.

Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput,
Vel ire extra portam Trigeminam ad saccum licet.

Ubi *saccum* Longolius putat, locum fuisse extra Trigeminam portam ita dictam a trigeminis Horatiis et Curiatiis, in quo pauperes stipem mendicantes sedebant; nam extra hanc portam mendicabula hominum oberrasse multi ex Cicerone locis probare se posse dicit. Idem tamen Parasitus aliquanto post e foro adveniens, ubi ad aliquot adolescentes captandae coenae gratia accesserat, neque impetrarat, queritur, ridiculis dictis, et ejusmodi rebus nihil jam profici. Unde perspicuum est, jam a Plauti aetate huic

generi quaestum esse desiisse, et assentatores tantum regnare coepisse.

Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.

Est quidem apud ipsum Plautum specimen quoddam assentationis in Milite Glorioso; sed imperfectum, et, ut sic loquar, nondum plane politum. Artotrogum dico, qui in prima tantum scena inducitur, sed scurram potius aliquem refert, quam urbanum parasitum, immania quaedam in Militis laudem mendacia procacissime jaculando. Nostro autem Gnathone, qui hanc artem invenisse a Terentio fingitur, nihil salsius, nihil limatius; ut admirari liceat, simul invenisse artem et consummasse. Sed jam adverte quibus rebus ars ista contineatur:

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,

Nec sunt ....

Potuitne vel brevius, vel venustius nobilium quorumdam mores depingere? Videlicet homo catus adverterat, homines alienam festivitatem, et in jocando solertiam non modo non amare, sed etiam indignari ob id ipsum, quod soli hac quoque laude praediti esse videri volunt. Adverterat etiam eos dignitatem et gravitatem affeotare, et quaecumque fecerint aut faciant, adeo praeclara putare, ut a nemine ullo conatu aequari possint: paucis, se solos potentes, solos callidos, solos gratiosos, solos pulchros, solos facetos haberi velle. Quid ergo?

.... Hoc consector (inquit), hisce ego non paro me, ut rideant;

Sed eis ultro arrideo, et eorum ingenia admiror simul:

Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque.

Cetera, mi Polli, melius per te videbis atque aestimabis. Quoniam autem Gnathonem novum quaesti genus a se inventum enarrantem audisti, eumdem protinus et exercentem attendas. Etenim Terentius, qui intelligeret, adulationem per se nocere non posse, nisi esset qui eam reciperet, ut ipsius turpitudinem et malos exitus penitus oculis subjiceret : non satis habuit parasitum inducere artes suas detegentem, sed alteram quoque personam addere voluit iisdem artibus, hoc est falsitati, suas aures patefacientem. Ita porro totam construxit fabulam, ut ad postremum haec ipsa persona conculcatam se ab omnibus et derisam animadverteret. Cur autem poeta voluerit hanc personam militi potissimum imponere, id deputo caussae esse, quod istiusmodi homines, quum plerumque nullis instituti sint litteris, et jam inde ab adolescentia inter suos similes interque arma et hostes versati, erroribus plurimis perversisque opinionibus imbuti, quadam insuper ferocia exsultantes et multa fortiter a se facta arbitrantes, omnium maxime proni ad gloriationem sunt, cujus si adjutores et quasi ministros invenerint, plane insaniant necesse est. Tum autem militis persona hoc etiam assentationi opportunior videtur, quod quamvis uberem materiam praebere potest ei, qui assentatur; habent enim praelia, caedes, direptiones, expugnationes, uno verbo res bellicae nescio quid oppositum ad facilem, multiplicem et ridiculam exaggerationem. Hinc ergo (nisi fallor) obtinuit, ut mendacio amicus potissimum miles a poetis induceretur; nec dubium est, quin inde ortum sit verbum illud, quod ita usurpatur a Tullio in cap. xxxviii. l. i. *De officiis*, ut illa aetate in omnium ore fuisse videatur. *Deforme* (inquit) *est*, *de seipso praedicare*, *falsa praesertim*, *et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.* Sed multo etiam magis, atque adeo prorsus huc

pertinet alter ille locus ejusdem Tulli, qui est in libro *De amicitia* capite xxvi. ubi ostendens, necessariam esse in fabula, si parasitus adsit, gloriosi alicujus personam, bellissime tangit hanc ipsam Terentii scenam, et quanta in primo statim Gnathonis responso ars sit, indicat: *Nec parasitorum in comoediis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi.* Magnas vero agere gratias Thais mihi? GN. ingentes. *Satis erat respondere* magnas: ingentes *inquit. Semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum.* Haec igitur scena, quae huic ciceronianae observationi locum dedit, duas habere videtur partes, quarum prima praedicationem continet, altera consultationem. Nam usque ad ea verba *nec injuria*, Gnatho et Thraso miles nihil aliud agunt, nisi hic quidem inficeto et rustico sermonis genere facta quaedam, dictaque sua, quae salsa imprimis putat, cum magno hiatu commemorat; ille vero laudat, subjicit, admiratur, arridet; jactis tamen in non sentientem subinde salibus. Secundum autem adnotata verba incipit deliberatio Militis cum Parasito, quae est hujusmodi. Thraso deperibat Thaidem meretricem Samiam, quam Phaedria quoque adolescens amabat, et multo ille quidem felicius. Is quum mulieri eunuchum dono misisset, ac pulcherrimam pariter ancillam Thraso; simulabat se Thais suspicari, militem huic oculum adjecisse; et per eam caussam duriorem se illi praebebat. Rogat ergo Miles Parasitum, an expedire putet, ut talem suspicionem a Thaide removeat. Negat id vero Parasitus, immo Thrasonem hortatur, ut eam potius augeat, consilio sane quam callido. Quum enim Thais mordendi Militis gratia rivalem ejus Phaedriam saepissime collaudaret; hanc unam dicit Gnatho viam superesse ad comprimendam illius mulieris petulantiam, ut quoties ea de Phaedria

mentionem fecerit, toties et Thraso de ancilla Pamphila sermonem injiciendo, dominam ipsam referiat et ulciscatur. Hujusmodi autem consilium non occurrisset certe, nisi homini ingenioso, qualis a Terentio fingitur Gnatho, novae parasitandi artis conditor atqne doctor; habet enim tantam subtilitatem, ut Cicero ipse non dubitarit, in publico judicio, quum Vatinium defenderet, se ad ejus normam agere profiteri. Quod ipsemet ita narrat in epistola ad Publium Lentulum, quae est IX. l. I. Ep. ad Fam. *Sed tamen defendendi Vatinii fuit etiam ille stimulus, de quo in judicio, quum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho Parasitus suaderet Militi:*

Ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuò. Si quando illa dicet Phaedriam,
Comessatum intromittamus; tu, Pamphilam
Cantatum provocemus. Si laudabit haec
Illius formam, tu hujus contra. Denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic petivi a judicibus; ut, quoniam quidem nobiles homines, et de me optime meriti nimis amarent inimicum meum, meque inspectante, saepe eum in Senatu modo severe seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur; quoniamque illi haberet suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter lacessitus, leviter repungere. Ex hoc porro videmus, etiam sapientibus et magnis viris poetarum, et praesertim comicorum lectionem, et observationem non mediocri usui esse, siquidem ab eis quaedam pro re nata non in dictis solum, sed etiam in factis mutuari possunt, quae temporibus incredibiliter opportuna, et vel sibi, vel aliis futura sint salutaria. Non mirum ergo, si Bossuetius ipse, vir summa innocentia et praeterea apostolica dignitate, hoc imprimis curae

habuit, ut commisso disciplinae suae adolescentulo, qui in gallici regni spem instituebatur, Terentium quam diligentissime explicaret, de quo postea ita scriptum reliquit in epistola ad Innocentium XI. Pontificem Maximum, quae est *De Institutione Delphini;* nos enim eum locum latine sumus interpretati. « In Terentio quoque non dici potest, » quanta cum voluptate quamque utiliter se oblectarit, et » quam illustres legenti humanae vitae imagines occurre» rint. Vidit profecto ille cum fallaces voluptatis et femi» narum illecebras, tum caecos aestus juventutis in lubri» cum, atque anceps callidi servi assentatione machinis» que conjectae, amoris etiam flagrantia ad summam con» silii inopiam adductae, nec, nisi revocato officio, ad pri» stinam tranquillitatem rediturae. Itaque sedulo attendebat » princeps, quemadmodum praeclarus ille artifex omnium » aetatum mores multiplicesque affectuum naturas perse» quutus, ita apte suis quamque personam lineamentis de» formasset, ut et proprietatem in sententiis, et in rebus de» corum venustatemque servaret eam, quae in ejusmodi » scriptis vel maxime requiritur. Neque tamen huic elegan» ti poetae ulla in re ego quidem peperci; quin etiam lo» cos illos reprehendi, in quibus scripsisse liberius videre» tur. Sed illud rursus fatebar, me admirari, quod in no» strorum comicorum plerisque multo etiam major exsti» tisset libertas et petulantia, detestabarque inhonestum i» stud scribendi genus, tamquam morum certissimam pe» stem ". Vel hinc intelligi licet, mi Polli, quanti faciendus sit Terentius; tametsi ille quidem nullius indiget testimonio, ac sua se pulchritudine satis commendat. Nam quod ait Bossuetius de paullo liberioribus locis, non nego equidem, fabularum argumenta in juvenilibus flagitiis versari pleraque omnia; (quid enim non pagani poetae auderent,

audeant quum talia christiani?) sed idem affirmare posse videor, in ipsis fabulis vix ullum dictum obscene ambiguum reperiri: paucis, argumenta minime casta perquam caste verecundeque tractari. Vale.

96. FERDINANDO STERZINGHERIO S.

Ludovicus Barberius Vicetinus, vir interioribus litteris eruditus, idemque patri olim meo, nunc mihi necessitudine conjunctissimus, multa ex intervallo scripsit, quibus non solum mathematicas, easque disciplinas, quae de animorum natura sunt, illustraret, verum etiam Religionis caussam mirifice tueretur, ejus scilicet, quae ab ipsa natura proficiscatur; sed quae tamen velut illius solum habetur, quae nobis divinitus est tradita. Proxime autem epitomen quamdam emisit latino sermone conscriptam ejus libri, quem de Divina Natura hoc nostro diligentissime composuerat. Is igitur egit mecum per litteras vehementer, ut hanc ipsam epitomen ejus verbis ad te mitterem, teque etiam atque etiam, ut iterum istic edendam curares, magnopere hortarer: id perquam utile fore Christianae Reipublicae, in Germania praesertim, ubi saniori doctrinae turpiculi errores saepissime admiscentur propter eorum conjunctionem, qui in sectarum perversitate versantur: te vero quamvis multos emptores huic libro inventurum, seque tibi maximam gratiam perpetuo habiturum. Hoc ergo si pro tua humanitate, et pro eo, quo es in Religionem studio, aliquando feceris: et mihi et illi gratissimum feceris. Interea tamen libellum perlege; tum quid opus sit facto, tecum ipse constitue; nam ipsa lectio fortasse consilium dabit. Vale. IV. Kal. Aprilis MDCCLXXXII.

97. LAURENTIO TIRONI SUO S.

Commodum deambulabam otiosus, quum tuas litteras servus attulit, quibus statim respondendum censui, propterea quod videbam me his proximis diebus occupatiorem fore. Plures enim eodem tempore acceperam et epistolas et libellos, quibus operam darem. In his Diodori quoque versiculos in Metastàsium. Summa haec est, ut ostendat, ab ejus poetae cantiunculis poeticae linguae leporem, verborum et sententiarum varietatem abesse. Quod totum sic explicat, ut prope singula imaginum, quibus ille usus fuerit, genera persequatur, stilum μιμικῶς effingat. Metrum, si quaeris, illud ipsum, quo nos Clarieis Placentam Apollinis convivio apposuimus. Acta Mutinensia tantum inspexeram. Ecce autem et a Pindemontio non minus jucunda multa. Poematium enim proxime editum misit, quo ipse Themiram alloquens, φαινόμενα describit, atque exornat ea, quae Messanam inter et Rhegium, qua mare siculum patet, certo quodam solis positu, in aere apparent, quaeque μοργανα incolae appellant. Tam ille Morganam hanc veneficam esse fingit, quae in illo freto latitans, adolescentulum teneat mutuis amoribus irretitum, quem quo magis oblectet, statis temporibus, spectra illa terrarumque circumjectarum εἴδωλα, quasi solemne ludicrum, instauret, atque objiciat. Commentum et rationem operis vides: de carmine ipso scribam alias; neque enim etiam perlegeram. Quod ut quamprimum diligenter faciam, urget me poeta his verbis: *Tu librum cave etiam proferas, quem ego adhuc continui, nec cuiquam ostendi; tibi autem misi cupiditate adductus judicii tui, quod quidem esse quam verissimum velim.* Flavium a me jube, qui litteras ad me dedit plenas impetus et ardoris. Hunc ego frenis compescam; te vero,

mi Laurenti, vel stimulis incitabo. Utrumque et amo unice et ambo dum vivam. Mater te mea salutat. Vale, mi montivage muscule. De Iseriano. VII. Kal. Oct. MDCCLXXXII.

98. LAURENTIO TIRONI SUO S.

Ego vero, ut scribis, silentium tuum jam prope subaccusabam, vixque a me ipse impetrabam, ut te non sine caussa cessare existimarem. Quod ita esse, teque mei non esse oblitum vehementer gaudeo. Utinam ad me venire, ut cogitabas, tibi per occupationes licuisset! Verum id quoque, qua es in me benevolentia, propediem futurum spero; cupio quidem certe. Quos tibi meos versus Carolus Rosminius ostenderit, nescio; neque enim illum heri vidi, qui foris essem, quod quidem molestissimum mihi accidit. Miseram autem ad ipsum paullo ante epistolium metro ligatum una cum Edyllio Theocriti undecimo, in quo Cyclops Polyphemus Galateam alloquitur. Quod ego Edyllium quum latine a Zamagna ita conversum legissem, ut molle illud ac facetum epos, quod Virgilio tribuit Horatius, usquequaque mihi referre videretur; magna statim cupiditate incensus sum, idem ut nostra lingua experirer. Itaque et perfeci quod intenderam, et meos hosce versiculos diligenter postea cum iis contuli, quibus jampridem hoc ipsum Edyllium Pompejus noster ex ipso Theocrito prope ad verbum expressit. Quid multa? quum eaedem sint sententiae, mirum tamen, mi Tiro, quam omnino non eadem res sit. Sed nolo clames, periisse pudorem: et vero tu melius judicabis (1). Nam quid ipse Rosminius sentiat, nondum scio. Ab Diodoro quoque vehementer exspecto,

(1) Hoc Edyllium videre est in Vol. VI. pag. 293.

cujus tibi superiores litteras legam acerrime in Metastasium scriptas, quem cum Virgilio et Racinio, excitandorum affectuum arte praecipuis comparans, suo more effertur, maximeque ad nomen Didus, memor illius Virgilianae, quae verissimum amorem spirat, continere se nequit. De reliquo, Rosminii epistolas, quae sunt de Rezzonici Alexandro (1), valde laudat, praesertimque alteram, ubi multis, iisque idoneis argumentis defendit, usquam in Macedonis persona poetam a decoro discessisse. Porro utramque Colurnum ad Matthaeum Bursam misit, cui quotidie conveniendi Rezzonici potestas sit propter vicinitatem; etenim ambo in eadem villa otiandi gratia versantur. Ego necessitatem studiorum quamdam optimo mihique carissimo adolescentulo hoc pacto impositum iri spero, ut, quum litteratorum hominum officiis laudibusque obligatus fuerit, jam sibi institutum iter relinquere non sit integrum. Otiosorum hominum in urbe est affatim, qui *fruges consumant*, agant nihil. Quo magis prospiciendi sunt nobis plures Laurentii atque Albini, qui nobiscum *retineant gloriam antiquam atticam.* At tu Albinum suavissimum jube de illis litteris esse securo animo; igniculos enim praetulerunt ingenii haud mehercule contemnendos, et disertae sunt. Loeschius, qui libellos nostros Onoldensium Bibliothecae petierat, inani quidem: at (ut Germanus) non inficeta epistola nobis egit gratias. Audio, Carolum Deninam clarissimum virum hoc ipso mane quum istac iter faceret in Germaniam, me in transitu convenire voluisse. Quod ego si praescire potuissem, ne quaeras quam cupide in urbem advolassem; nosti enim infinitam quamdam in his

(1) Drammatico poemate, qui sub id tempus in lucem exierat magnasque excitaverat controversias.

rebus cupiditatem animi mei. Quod vereris, ne cui tuas litteras, injuriam tibi ipsi facis. Quasi vero non et bene semper et interdum etiam bello scribas. Tu modo facito, ut saepius. Domus te mea tota salutat. Vale et salve cum Albino. Quae te in manibus habere scribis, quaecumque demum sint, erunt autem, ut soles, optima; quum primum summam manum acceperint, legere vehementer gestio. Cave me quidquam celes aut dolo aliquo, aut etiam pudore isto tuo, quo saepe laboras, paene subrustico. Iterum vale. VII. Kal. Oct. MDCCLXXXII. De Iseriano.

99. LAURENTIO TIRONI SUO S.

Vix credas, mi Laurenti, quantum voluptatis e superiore congressu nostro perceperim, quum ea tibi e meis lusibus (sic enim appellare licet quae per otium ad metri leges fundo) maxime probari videbam, quae maxime probatum iri sperabam. In quo animi mei judicium numquam non verum sum expertus, ut et laudarentur ea, quae scribens ipse probassem, et ea revocarentur ad trutinam, de quibus idem ipse dubitassem. Itaque videor posse dicere, me certum habere, quid de meis scriptis alii sentiant, paene antequam proferantur. Id autem et tibi, et omnibus commune mecum esse potest, modo et subtilis ille recti sensus adsit, atque illud sapere quod dicitur, nec aequitas desit in judicando; qua quidem quia multi carent etiam litteratissimi, idcirco fit, ut inanis jactantiae pravorumque judiciorum plena sint omnia. Nosmet igitur, mi Tiro, audiamus, atque incorruptam judicii nostri vocem sequamur, nec cuiquam plus de morbis credamus, quam nobis ipsis; quod quum Quinto Hirpino praeciperet Horatius, magnam profecto uno verbo praeceptorum complectebatur vim.

Quare si de dialectica quae scribis, ea tibi minime displicent; noli dubitare, quin mihi quoque vehementer sint placitura. Carmen quidem nostrum (quoniam de laudibus dicimus) quo Nasonem sequuti, varios capillorum positus docuimus, et quemdam quasi ludum muliebris elegantiae aperuimus, stetit, quemadmodum sperabamus, recto talo; ita prorsus, ut a puellis quoque (quod genus fastidiosissimum est) et avidissime audiatur, et describatur etiam. Itaque me, qui severior et rusticior quibusdam videbar, jam elegantem formarum spectatorem vulgo appellant. Magis, credo, dicent, quum Polyphemum meum legerint, de quo iterum Diodorus, nihil non belle et suaviter. Et tamen locos quosdam retractavi otiose et lente, in quibus germanum graeci poetae vel sensum, vel leporem desiderabam. Haeret autem mihi medullitus Horatianum illud de bono scriptore verbum: *cum tabulis animum censoris sumet honesti.* Corsettianum Commentariolum per assiduas interpellationes nondum institui, tametsi schedulas locorum omnium confecerim. Sed his quidem vindemiarum diebus non me poenitet, quantum temporis dem amicis, quantum ambulationibus, quantum etiam musis; his, dico, jocularibus, quae minus mihi adversantur. Urgebat me cum Caleppius, tum Garampius, ut Plinii epistolas, quando jam plures converteram, absolverem omnes: respondi, me esse hominem ignavum, diuturno quidem labori minime parem. Pindemontius magnas mihi gratias agit, quod Morganam suam tam argute laudarim; nam mehercule, dum laudo, paene totam exscripsi. Hodie Rosminius de versiculis humanissime. Caninii carmina legi nonnulla: ὑποθέσεις lepidae, quaedam etiam cum motibus; multum integritatis in verbis, impetus et facilitatis parum; quod quidem exspectabam. Novi aliud quid? nihil, quod meminerim. Nosti enim,

memoria me esse non ita bona. Cubium nostrum, cui in hac laude non video quem comparem, diligenter mihi salutes velim : valeas praeterea, atque omnem ex animo inanem metum ejicias. Quod nisi feceris, numquam profecto valebis. Morbus enim, si inciderit, modum habet, timor non habet. Scribe ad me saepe, si me amas, mi Tiro. v. Id. Octobris MDCCLXXXII. De Iseriano.

IOO. LAURENTIO SUO S.

Quod in dialecticis conscribendis haud invita Minerva tibi versatus esse videris, et mihi gaudeo et tibi gratulor, magnum enim bene collocati laboris argumentum est. Quare quam mihi promisisti vel atticam vel potius iserianam noctem, eam praestes, memento: repraesentes etiam, si poteris. Venies autem cum libris et membranis tuis suffarcinatus, et Horatianum illum tribulem imitaberis, qui soleas cum pileolo sub ala portans, ad coenulas itabat. At ego, nisi pluvia obstitisset, a. d. VI. Id. Oct. bellissime pransurus eram in Rubianico Federicottiorum, quo multae venturae erant mulieres. Itaque pridie noctu sex ὀγδοάδας uno impetu effuderam, quibus polentam, quod futurum erat convivii caput, puellas alloquentem gloriantemque faciebam. Has praeter omnium opinionem eram inter epulas memoriter recitaturus. Ea res quoniam aliter cecidit, ac volebam; quod proximum erat, feci, ut amicis ad focum recitarem. Exemplum petierunt, dedi; ne multa, nemo est in his locis paullo eruditior, quin illos versus, et audierit jam et descripserit. Nec mirum ; sunt enim maxime expoliti, et, ut Petronii verbo utar, publici saporis. Quam eamdem esse caussam arbitror, mi Tiro, cur quae in feminarum ornatus jocati sumus, ea quoque imprimis ferantur,

et volitent non illa quidem *per ora virûm*, sed per sellas cathedrasque puellarum. Neque enim tam saepe de scriptis ex elegantia judicant homines, quam ex argumento. Ex quo fit, ut et optima carmina in situ ac tenebris saepe jaceant, quod materia ipsa a vulgi sensu procul abhorreant; nec raro mediocria, aut etiam mala, quia de rebus pervulgatis agant, et quae magnum sermonem habent, omnium manibus diu noctuque terantur. Quod quum cogito, equidem animum immodestius exsultantem, se seque efferentem compesco, ac me ipsum saniori consilio inanes quasdam spes resecare et circumcidere jubeo. Tullium, mi Tiro, et Virgilium legamus; jam hominum stultissimi simus, si nobis aliquid videamur. Hactenus igitur ipsi nobis blandiamur censeo, ut studia nostra, quibus sustentamur, sine quibus vix vivere possemus, ne refrigescant. Laurentius Marchesanii librarius nescio quid epithalamii a me petiit: ego autem homini morem haud gravate gessi: prorsus ridebis quum legeris. Sed o Bernia! quantum negotii post te jocantibus imposuisti! Hujus enim maxime ingenio difficilis quaedam res risus facta est. De Graecino quod suspicaris, *cum aliquantulum remisisse de illa severitate censoria*, nihil falleris. Sed et ipse natura lenis est, et aetas, negotia, consuetudo multorum animos, tamquam fluctus, paullatim sedant atque componunt. Arellius, qui aetatem exegit in litteris, salutem nobis per Cecchinellium misit dulcissimam, et nescio quid schedarum cum inscriptione; quae mihi quidem multum habere salebrarum videtur. Hoccine esse, mi Tiro, doctissimorum fatum, ut iidem fere sint in componendo durissimi? Ego vero, Frugoni, laudo fortunas tuas, qui auctoribus Horatio et Chiabrera contentus paene solis, ubi quid difficilius occurrerat, doctiores amicos consulebas: idem quum ad scribendum accesseras,

omnium ingenia superabas. Caveamus igitur, praesertim qui versus scribimus, ne nimia doctrinarum mole animorum igniculos obruamus. Quod te corpori animoque curando ita operam dare scribis, ut jam nihil timeas, nullos tibi ipse terrores fingas; vide, ne bidui sit aut tridui ista mutatio. Novi enim, in hac dumtaxat re, levitatem animi tui, quam quaeso, corrigas, immo vero deponas, face. Vale. XVI. Kal. Novembris MDCCLXXXII. De Iseriano.

101. LAURENTIO TIRONI SUO S.

De Britannicis Diodori epistolis puto me ad te scripsisse. Illud quidem fortasse non adscripsi, veteribus ejus poematiis, quae solutis feruntur numeris, nova adjecta esse duo, alterum in dedicatione aedium academicarum, quae Mantuae exstructae sunt, alterum ex persona Platinae iniquorum in se perfidiam conquerentis, sub quo, ut in Virgilii eclogis videmus, haud obscura latet ignatianae calamitatis significatio. Haec igitur ille addidit; verum stilo nequaquam pari, sic, ut intelligas, senem esse qui scribat, Diodorum tamen. Ego nunc Andresii librum volvebam de litterarum atque artium apud quamque gentem initiis atque incrementis; opus sane spissum et laboriosum, incredibili doctrina atque eruditione refertum, nostroque sermone tam polite scriptum, ut homo hispanus italicae orationis si minus elegantiam, certe candorem nostris hominibus monstrare voluisse videatur. Nihil praeterea nugarum, quibus isti delectantur Andresii populares, nulla cum Rutulis pugna, fallaciae nullae. Quam multa et recondita de Cinensibus, Indis, Persis, Phoenicibus, Arabibus, Chaldaeis, Aegyptiis, ex quorum remotissima antiquitate scientiarum studia ad Graecos usque sunt derivata! proh

dii immortales! quantum operum devoravit vetustas! quam inani gloriola aetas se nostra jactavit! Jam quid Graecos censes? hi vero cum graviorum disciplinarum severitatem, tum humaniorum amoenitatem ita complexi sunt, ut in utro genere majorem illustrioremque scriptorum copiam effuderint, judicari satis non possit. Certe in eloquentia et poesi ipsos illos, a quibus docti fuerant, vicerunt; in rerum vero naturalium studio etiam Romanos. Sic enim de Romanis Andresius existimat, eos, praeterquam in liberalibus disciplinis, nulla alia in re posse cum Graecis comparari; in ipsis autem liberalibus disciplinis pondere stare, non numero: unum enim Ciceronem atque unum Virgilium instar esse graecorum oratorum ac poetarum centum. Quo capite toto graecos auctores cum latinis paene sigillatim committens, et acutum judicium, et praecipuam quamdam recti generis voluntatem ostendit. Melonii volumen undecimum, unaque matris et Robertiae lucubrationum exempla accepi, de quibus ille in prooemio ad Liviam Accarisiam magna cum laude mentionem fecit; et mehercule etiam de nobis aspersit aliquid: quod ego, qua sum modestia, minime aspernor. Sed mirifice me matris opuscula, jam tertio relegentem, delectarunt, quae praesertim a muliere de mulierum rebus muliebri illa suavitate perscripta sint. Tu, nisi veneris, exemplum feres nullum. Lucius Thorius particulam ad me misit latinae cujusdam satirae, qua Thomasii ὑδρωπικὸς ille tumor, ac Thomasianarum pecudum ineptiae per jucundissimam dissimulationem exagitantur. Ne multa, et ipsi Thorio et mihi nihil visum est potuisse scribi ei rationi convenientius, quam ego in altera ad Montium epistola satis cum periculo defendissem. At hic quidem, quisquis est, multo acerbius; nam Juvenalem fere imitatur, non saepe Horatium. Sectani illius majoris

si non filium, certe nepotem putes. Atque utinam nostra lingua! Quamquam si me amem, facile patiar, hunc paene integrum relinqui industriae meae locum. Petii a Thorio ut reliqua mitteret, auctorem monstraret. Bononiensium Acta, quae sermonem nostrum de otio litterato, et epistolam in Horatii praedium laudabant, nudius tertius ad me sunt perlata. Leviter omnia, ut solent; aliquanto tamen fusius de epistola, ex qua etiam versiculi afferuntur de Tyndaride apud poetam sub umbra Lesbium bibente. Quid tu (inquis)? jamne in hunc autumnum destitisti furere? extorseruntne tibi istam canendi insaniam tristes illae Kalendae Novembres? ego vero paene convalui ex quo Epigramma quoddam confeci, invitissimis diis, de quo e Rosminio cognosces. Et tamen Pindemontio autumnalia haec nostra minime sunt improbata : *fingendi vim, varietatem, leporem* denique inesse dixit. Quae multo ego malo credere, *quam sapere et ringi.* Sed Horatiana me valde sollicitant atque urgent, quae jamdiu summam manum exspectant.

Nunc itaque et versus, et caetera ludicra pono.

Vale, mi Tiro, et salve. Martinalibus, MDCCLXXXII. De Iseriano. Epigramma illud, de quo scripsi, revocat mihi in mentem quae tu quaerebas de Romanorum legibus in mordaces scriptores. Haec igitur habe. Lex fuit XII. tabularum in maledicos his verbis : *Si quis occentassit malum carmen, sive condidissit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri, capital esto.* Ad eam legem pertinet quod ait Horatius in epistola ad Augustum (*Lib. II. ep. I.*):

. . . . . donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento
Dente lacessiti : fuit intactis quoque cura

Conditione super communi : quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi etc.

De eadem lege loquitur Cajus Trebatius apud eumdem Horatium, ita ipsum a satiris conscribendis deterrens (*Leg. II. Sat. I.*):

Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum :
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque etc.

ubi formulam ipsam XII. tabularum expressit. Porro in maledicos scriptores olim animadvertebatur; scripta quidem ipsa haud ulla afficiebantur ignominia. At id quoque in Labieni libris primum factum legimus apud Marcum Senecam Lib. V. Controv., ubi ita scriptum est: *In hunc primum excogitata est nova poena. Effectum est enim per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova et insueta, supplicia de studiis sumi . . . . . . Facem studiis subdere et in monumenta disciplinarum animadvertere, quanta et quam non contenta certa materia saevitia est !* etc. Plura in hanc rem stomachosius; deinde subjungit: Ejus, qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt: jam non malo exemplo, quia suo etc. Mox addit de Cassio Severo eo, cujus dicteriis commotus Augustus (ut est apud Tacitum Libro Ann. I.), cognitionem de famosis libellis specie imminutae majestatis tractaverat. Ait autem Seneca: *Cassii Severi, hominis Labieno junctissimi, belle dicta res ferebatur. Illo tempore, quo Libri Labieni ex S. C. urebantur; nunc me, inquit, vivum uri oportet, qui illos edidici.* Cremutii quoque Cordi Annales igni damnatos, sed subtractos auctor est Tacitus Annalium quarto; qui quidem haud secus ac

Seneca, talem saevitiam et stultam esse ostendit, et eo usque irritam, ut etiam ingeniis ad famam prosit. Alia id genus legas apud eumdem in quartodecimo, et maxime de Fabricio Vejentone; quem locum subjeci tibi: *Haud dispari crimine Fabricius Vejento conflictatus est, quod multa probrosa in Patres et Sacerdotes composuisset, iis libris, quibus nomen Codicillorum dederat . . . . Convictumque Vejentonem Italia depulit (Nero), et libros exuri jussit, conquisitos lectitatosque donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi oblivionem attulit.* Alia si occurrent, mittam. Vale iterum.

102. SILVANO SUO S.

Accepi, Silvane suavissime, tuam epistolam, de qua valde te amo. Quod in mea consuetudine spem magnam ponere videris studiorum tuorum, facis tu quidem humaniter. Utinam quantum cupio, tantum etiam reipsa prodesse tibi possim! Sed sive naturae atque industriae tuae id totum acceptum referas, sive etiam nonnihil disciplinae meae; magnos quidem in latinis litteris progressus te his paucis mensibus effecisse sine ulla dubitatione affirmo. Quid multa? in isto ipso, quod cum epistola ad me misisti, historicae narrationis quasi exordio ita pauca offendi, quae immutarem emendaremque, ut valde miratus sim, te novum illud scriptionis genus tam celeriter arripuisse. Rerum ordo lucidus, sermones scite illigati, verba propria, expeditae descriptiones, omnia denique non modo latine, verum etiam historice scripta. Nosti enim, suam esse cuique operi formam, suumque velut colorem, quem nisi serves, bonus scriptor esse non possis. Quamobrem, mi Silvane, etiam atque etiam tibi gratulor, teque, ut porro

pergas, reliquaque eodem modo absolvas, vehementissime hortor. Livium et Cornelium praecipue legas velim, atque exaggeratam illius facundiam hujus temperes aequabili lenitate. Cave tamen interea, Tullium nostrum umquam de manibus deponas, qui quidem vel unus omnia eloquentiae genera facile perdocere potest. Scriptionem tuam tibi remitto, quam relegens, quae minus probarim, ex appositis notis intelliges. Vale. IX. Kal. Oct. MDCCLXXXIII. De Iscriano.

103. LAURENTIO SUO S.

Putabam te mei oblitum, ac nonnihil apud Cubium nostrum quaestus eram. Sed omnem mihi suspicionem exemerunt litterae tuae XI. Kal. Oct. datae; quae quum heri demum perlatae ad me sint, intelligo, vel defuisse, cui citius traderes, vel certe te exspectasse dum certum scires, me venisse in Iscrianum. Quod igitur scribis, te istic apud Gallonium et belle et libenter esse; sane credo, tibique gratulor. Quod autem addis, officiorum, quae res aut tempus postulet, te nullum praetermittere; id vero etiam laudo. Semper enim hoc tu memineris facito, eorum, apud quos sis, arbitratu vivendum esse. Itaque etiam Horatius noster, cujus quidem libertatem et carminum studium nosti, quum venari potens amicus vellet, negabat, versus esse faciendos. Lege, quaeso, praeclara illa ad Lollium, ac, si fieri potest, ad verbum edisce. Quin tu (inquis) vetera mitte; exprome, si qua habes, nova. Ego vero, mi Laurenti, non multa, nisi si illud tibi vis scribi, quod certe vis, exisse Torellii laudationem a Pindemontio conscriptam, in qua et ingenium adolescentis etiam in mathematicis exercitatum, et judicium mirere, qui illius mores, indolem, elegantiam eo, quo ipse utebatur, gravi ac puro orationis

genere expresserit. Itaque qui in caeteris scriptis Isocratia concinnitate imprimis delectetur, is in hoc ita pressus, adeo rectus ac prope severus est, ut vel stoicis auribus probari possit. Porro idem nescio quid epistolii confecit in duos Virgilii atque Aligherii haud dissimiles locos, in quibus diei noctisque fines videntur interpretibus conturbati; idque edidit nobis inscriptum (1). De Mimisi Caci sermonibus, quos mihi nuper curasti, quid sentiam dubito. Horatianae urbanitatis in iis vestigia non sane multa; plura bilis atque aceti illius Aquinatis. Quamquam sunt, quos et hoc genus satirae juvet, hodie praesertim. Non igitur id ipsum in Caeo isto reprehendam, sed quod et vulgaria ingerit nimis multa, et saepe arripit maledictum ex trivio, ac prorsus, ut ait Horatius, *migras in obscuras humili sermone tabernas.* Omnino, mi Laurenti, nihil apud nos quidem difficilius satirica ratione ea, quae inter stili granditatem humilitatemque quasi interjecta, et citra sanguinem vulnerat, et risum movet viro dignum, nec tamen usquam a dignitate discedit. Plures autem mihi videtur habere latina lingua utriusque eloquentiae gradus, mollioresque velut colorum transitus, ut ab imo ad summum etiam per affinia genera sensim oratio procedat. Quid enim? nonne Terentius, etiamsi *sermoni propiora* scribat, tamen ita scribit, ut intelligas, poetam esse? Atqui Terentio uno gradu nobilior est Phaedrus; Phaedro item Horatius, Horatio ipso Persius et Juvenalis. Et tamen horum omnium poesis quantum, dii boni, a Virgilianae illius splendore ac magnificentia distat! Nos autem, sive vitio patrii sermonis, seu, quod quidem verius arbitror, nostra inscitia, si paullum a summo in versu decessimus, continuo ad imum delabimur.

(1) In Catalectis Sebastiani Coletii.

Sed hactenus. De Rogatii Anacreonte, quem lectitabam, scribam alias. Vale. VII. Kalendas Octobris MDCCLXXXIV. De Iseriano.

104. JOACHIMO TOSIO S.

Scribit ad me Moreschius noster, nullas tibi etiam redditas esse a me litteras: quod sane miror. Nam haud ita multo postquam tuas cum praeclaro illo munere acceperam (1), dederam ad te bene longas, tametsi raptim, ut ruri, scriptas. Nunc quoniam eas periisse oportet, ne me putes officii mei oblitum, vel omnis potius urbanitatis expertem, has alteras tibi reposui, quae utinam ad te perferantur incolumes. Priorum exemplum si haberem, equidem adjecissem. Ago igitur tibi et Aloysio Palcanio tuo pro humanitate in me vestra gratias singulares; tibi vero praeterea, qui illius hortatu et jucundissimam tuam mihi obtuleris amicitiam, et eximia ingenii tui monumenta mecum communicaris, tantum me debere profiteor, quantum numquam satis pro merito praedicaro. Sic autem habe, nihil me tuo isto libello, quem de Ratione inscripsisti, legisse umquam neque subtilius ad philosophiae, quae de animis est, tamquam obrussam exactum, neque magis ordinate magisque firme aliud ex alio aptum et nexum, neque omnino aut exspressum illustrius, aut urbanius in tanta rerum severitate conditum. Quid, quod haec omnia eo diriguntur et pertinent, ut alta quaedam ac solida religioni substernere quasi fundamenta Ratio ipsa ostendatur, atque ad illam utique per hanc recto itinere perveniri? Quod quidem cum sanctissime tibi propositum fuit, tum

(1) *Saggio Metafisico sulla Ragione. Venezia*, 1787, *pel Fogliarini.*

nulla alia ratione melius abs te effici potuit, quam ea ipsa, quam es sequutus, ut et consilium dissimulares tuum, et singulis ad tenue elimandis lenti cujusdam prope geometrae personam indueres, et ubi lectores certis argumentis paullatim implicuisses, ab humanis ad divina nec opinantes traduceres subitoque constrictos teneres. In ea enim profecto incidimus tempora, ut tanta res astu potius, quam aperto, ut ajunt, marte gerenda sit. Usque adeo bonae menti, quodque plus est, suae ipsorum saluti irati sunt quidam, qui quum pecudum se ritu interituros in animum induxerint, quo et earum more liberius vivant; nihil magis verentur, quam ne gratissimus, idemque perniciosissimus sibi error extorqueatur. Quos tu, quoniam eo perduxisti, ut jam negare non possint, esse aliquam disciplinam hominibus a Deo traditam; preme, quaeso, atque urge, et ut hanc illam esse fateantur, quam nos accepimus, quaeque a nostris summa colitur caerimonia, perpetuis rationibus plane subige. Nae tu duobus parvis libellis maxima et innumerabilia theologorum volumina doctrinae pondere aequabis, utilitatis vero ubertate etiam facile superabis. Quae quidem, mi praestantissime Tosi, tam vere ad te scripsi, quam mehercule libenter: quod si aliter sentirem, tametsi invitus, tamen aliter quoque scriberem. Neque magis id quidem conjunctione adductus ea, quae inter nos Odescalchico illo collegio, ut tu recte mones, conciliata est, quam tua ipsius benignitate, tuoque in me studio permotus. Hanc, inquam, diligo, hoc amo atque complector: cui tu si curaris, ut non solum animo, quod semper facturus sum, sed re quoque ipsa aliquando respondere possim, beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale, et Palcanium, doctorum hominum decus, quam honorificentissimis verbis a me saluta. Roboreti. IV. Kal. Januar. MDCCLXXXVII.

105. ANTONIO BENONIO RHETORI ALENSIUM S.

Et salutem abs te antea saepius per amicos accepi, et heri etiam litteras. Equidem quid te mihi tam benevolum fecerit, nescio (quae enim de me et scribis et praedicas, ea ego si agnoscam, sane mihi ipse ignotus sim): hoc certe scio, te singulari quadam humanitate praeditum esse oportere, qui quem numquam videris, et cui nihil quicquam debeas, eum ultro tot officiis cumularis. Quod quidem ejusmodi est, ut si velim tibi pro merito gratias agere, verba, quibus id faciam, reperire non possim. Male autem profecto id ipsum fateri, quam in meritis erga me tuis oratione exaequandis frustra laborare. Hoc igitur satis habeas, Benoni optime, gratias me tibi, etsi nec agere idoneas queam, nec referre, habiturum tamen esse maximas atque immortales. In quo dumtaxat facile patior, me apud te ab Caesare illo nostro (1) laudatum esse, verum hactenus. Nam siquid praeterea ad eam grati animi laudem addidit; non judicio ille quidem, quod habet peracre perque limatum, sed benevolentia lapsus est. Hujus autem jussu, simul cum his litteris, Callimachi in Lavacra Palladis exempla ad sex, quaeque ex Horatio praeclare expressa ab eo carmina apud me latebant, omnia tibi misi. Quae quidem, ut eidem ipsi videbitur, vel tibi habebis, vel sibi remittes, vel certe mihi tuo commodo. Nam quod pagellarum oras mea manu conscribillavi totas, id qua gratia jampridem fecerim, satis intelligis etiam tacente me. His autem adjeci exemplum ejus carminis, quod tu tam valde

(1) Is est Antonius Caesar Sodalis Philippianus, Veronensis, poeta egregius et veterum utrasque linguae aemulator.

probari scribis (1). Id tibi praesens praesenti superioribus diebus daturus eram, quum Verona rediens Alae substitissem, nisi prandium et somnus paucas eas horas properanti abstulisset. Itaque quod te non convenerim, ignosces languori et festinationi meae; eram enim sane non minus calore, quam itinere lassus. Cura ut valeas. Ex Suburbano. Kal. Juliis an. MDCCLXXXVIII.

106. FRANCISCO SAIBANTIO S.

Petiisti a me, mi avuncule, ut elogium componerem, quod sub imagine Josephi Givannii magno nostro dolore nuper mortui, quam ipse olim descripseram, adderes. Accipe igitur tam breve, quam mehercule verum, et vale. XV. Kal. Dec. MDCCLXXXVIII.

JOSEPHUS GIVANNIUS Roboretanus, sacerdos, unus e quinque, qui Sodalitatem Litterariam Lentorum constituerunt, ejusque primus Scriba ab epistolis. Hic multos multa privatim docuit, grammaticen, arithmeticen, geographiam, historiam; humaniores vero litteras publicae in gymnasio professus est. Vernaculum sermonem omnium fere princeps ad poesim accommodavit, eoque complures Fabellas Areosti metro pertexuit mira festivitate. Nonnulla item alia, ex quibus *Somnium Pimpesii* eodem metro relatum est ab Josepho Vannettio in eum librum, quo dialecton roboretanam cum etrusca lingua comparavit. Itaque conditor ejus stili habitus est. At sua ipse poemata paullo ante obitum combussit omnia, quum quidem labes inesset nulla. Quorum tamen exemplum exstat in tabulario

(1) Intellige etruscum Vannettii carmen ad Nerinam novam nuptam, quod paullo ante exierat Roboreti, hoc initio:

Lunge dal patrio sen, bella Nerina.

Sodalium Lentorum. Ictu sanguinis exstinctus est pridie Nonas Julias anno MDCCLXXXVII. annos natus quinque et sexaginta. Hoc nemo laboriosior fuit, nemo patientior prudentiorque, nemo erga amicos officiosior; sed quum multis excelleret virtutibus, nihil in eo magis enituit, quam pietas adversus Deum, vitaeque innocentia.

107. LAURENTIO S.

